COMMERCII EPISTOLARIS VFFENBACHIANI SELECTA

VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRAVIT

VITAMQVE B. ZACH. CONR. AB VFFENBACH PRAEMISIT

IO. GE. SCHELHORNIVS.



VLMÆ ET *MEMMINGÆ*
APVD JOAN. FRIDER. GAVM
MDCCLIII.

AVGVSTISSIMI CAESARIS

IN SENATV S. ROM. IMPERII AVLICO

CONSILIARIO

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

HENRICO CHRISTIANO

LIB. BARONI DE SENCKENBERG

SPLENDIDISSIMIS MERITORVM IN REMP.
PARITER AC ORBEM ERVDITVM LVMINIBVS
FVLGENTI

INTER PRIMARIA GERMANIÆ

LITERATÆ ORNAMENTA

SVMMO IVRE NVMERANDO

B. VFFENBACHII

QVONDAM

AMORI ATQVE DELICIO

HOC QVIDQVID EST LIBELLI

ANIMVM TESTATVRVS VENERATIONIS

PLENISSIMVM

VOTIS

PRO SECVNDISSIMIS CONSILIORVM
RERVMQVE AB EO CVM PVBLICE TVM
PRIVATIM GERENDARVM
SVCCESSIBVS

PIA MENTE NVNCVPATIS

SACRVM ESSE CVPIT

NOMINIS EIVS

GERMANIÆ NOSTRÆ GLORIOSI

CVLTOR DEVOTISSIMVS

IO. GE. SCHELHORNIVS

PRÆFATIO.

Inter cætera, quæ benigne mihi in certiſſimum amoris ſui pignus legata voluit Vir ſupra omnes laudes poſitus, ac poſt ſuprema etiam fata mihi ſummopere devenerandus, ZACH. CONRADVS AB VFFENBACH, fuere quoque Diaria itinerum, rebus cognitu et valde dignis, et apprime jucundis, turgida, ac integrum Commercium literarium, quod ipſi cum doctiſſimis noſtri ſæculi Viris per longam

annorum ſeriem interceſſit, vel eo nomine magni habendum, quod non epiſtolas duntaxat ab illo acceptas, ſed redditas etiam, viginti egregiis ſpiſſisque voluminibus complectatur. Eo autem conſilio tam mihi liberalem ſe præbuit Mæcenas Optimus, ut Commentarios, quos de vita propria anno ante beatam dialyſin eleganter inchoaverat, his aliisque inſtructus ſubſidiis, pertexerem. Nefas ergo ducens, Patroni de me immortaliter meriti Manibus extremum hoc pietatis officium denegare, feci id pro virium, quas ſentio, quam in me ſint exiguæ, modulo, ac pretioſæ Viri beati purpuræ vilem meum aſſuere pannum auſus ſum. Sed tam mihi eſſe felici hactenus, quantumvis omni adhibita & privatim, & publice in Muſeo Helvetico, induſtria, haud licuit, ut honeſtum quendam Bibliopolam ad opus ſuis in lucem impenſis proferendum permovere

vere potuerim. Ne igitur meo plane deeſſe videar officio, id tandem conſilii cepi, ut pleniores de vita ac meritis τοῦ μακαρίτου commentarios, in breve redactos compendium, interim, dum melior arrideat fortuna, in dias luminis auras cum ſelectioribus epiſtolis extrudam, quas partim integras, partim vero fragmenta memorabiliora, ex iis decerpta, exhibere animus eſt. Illis non quasdam modo, ſicubi opus fuerit, ſubjungam notatiunculas, verum data quoque occaſione ſingulares inſpergam obſervationes: quo pacto tam B. VFFENBACHII vitam iri illuſtratum, quam nonnihil rei literariæ lucis acceſſurum ſpero. Hoc inſtitutum ſi lectorum tulerit calculos, ſenſim ſenſimque bono cum Deo hunc plures faſciculi excipient, binis autem tomulis adjicietur rerum notabiliorum Index. Præterea nihil eſt, quod Te in anteceſſum moneam,

nisi jam sub prælo sudare Descriptionem Itineris, a beato Viro, comite Illustri Fratre, D. IO. FRIDERICO AB VFFENBACH, Magnifico Reipubl. Mœno-Francof. Consule, olim per Germaniam inferiorem in Belgii Fœderati Provincias, adque toto divisos orbe Britannos, feliciter peracti elegantissimam, et optimæ frugis plenam, variisque tabulis æneis condecoratam, quam faventibus intelligentium suffragiis exceptum iri nullus dubito. Ita vale prosperrime, Lector benevole, ac meis conatibus, quod hactenus egregie fecisti, constanter fave.

Scribebam Memmingæ, A. R. S. MDCCLII. pridie Calend. Decembris.

MARC. ANTON. MVRETVS

Lib. I. Epist. I.

Multæ cauſſæ ſunt, propter quas magnorum et illuſtrium Virorum epiſtolæ expetantur. Sunt, quas ſermonis nitor et elegantia, et nativa quædam pulchritudo, nullo, ut videtur, artificio exculta, nullis pigmentis colorata commendet. Sunt contra, quæ et verborum et ſententiarum minime vulgato genere cultum et artificium oſtentent. Nonnullæ etiam ita ſcriptæ ſunt, ut hiſtoriam quaſi quandam contineant eorum temporum, quibus ii, qui illas ſcripſere, vixerunt. Atque hæ, ſive a diſertis, et ingenuarum artium ſcientia expolitis hominibus prodierint, tanto cupidius leguntur; ſive etiam ab iis, qui lepore ac feſtivitate dicendi caruerint, non tamen propterea negliguntur. Hiſtoria enim, ait Plinius, quoquo modo ſcripta delectat. Graves quædam, et philoſophicæ, officii præcepta tradunt; falſas opiniones evellunt ex animis; quanta in virtute

dignitas; quanta in vitiis turpitudo ſit, docent: quo in genere Seneca excellit. Quædam, etiamſi ad res modo privatas et familiaria negotia pertinent, excitant tamen hominum ſtudia, propter eorum, a quibus ſcriptæ ſunt, auctoritatem. Natura enim comparatum eſt, ut, quos admiramur ac magnifacimus, eorum omnia maxima minima cognoſcere cupiamus. Recteque ac vere Xenophon, virorum virtute præſtantium non ſeria modo, ſed & joca digna eſſe ait, quæ memoriæ commendentur. Et certe ſi vaſcula quædam, quibus illi uſi erant, et alia, quæ in eorum ſupellectile ac frivolis fuerant, mortuis ipſis cupidos emptores invenerunt: (quomodo lucernam Epicteti mille drachmis, Protei Stoici baculum talento venditum accepimus) multo magis eorum quamlibet tenues & exiles epiſtolæ in pretio eſſe debent.

Sylla-

Syllabus eorum,

quæ in hoc faſciculo continentur.

Singu-

Singulares Editoris Observationes suis locis insertæ.

*** *** ***

I. ZA-

I.

ZACHARIAS CONRADVS AB VFFENBACH
D. JO. ALB. FABRICIO, Polyhiſtori Hamburgenſi.

Quanta cum lætitia & aviditate binos Bibliothecæ Tuæ Tomos, præ aliis, quæ hiſce nundinis in lucem prolata ſunt, operibus præſtantiſſimis, ambabus manibus exceperim, pluribus exponere ac declarare Tibi conarer, niſi maximas, quas univerſus orbis litterarius Tibi debet atque merito tribuit, laudes levi meo calculo augere velle arrogantiam, & egregia Tua ſtudia atque labores eximios hiſce interrumpere piaculum crederem. Quare citra ambages, quod auribus Tuis gratius, Tuaque, Vir Eruditiſſime, at-

tentione dignius ſpero, benigne, quæſo, accipe, atque in meliorem partem interpretare. Scilicet dum aliqualem librorum apparatum mihi comparare magno ſtudio nec minoribus ſumtibus hactenus allaboravi, inter alios, quos ſors mihi obtulit, codices, in manus meas incidit Græcus, mea quidem ſententia non infimæ notæ, ideo certe magni faciendus, quod excelſæ Glorioſiſſimi Imperatoris Conſtantini VIII. Porphyrogenneti induſtriæ debeatur, quam Egnatius, Allatius, Valeſius, Combefiſius, B. Vulcanius & Meurſius ſummis encomiis deprædicant, majoribus etiam ſine dubio proſecuturi, ſi præter minutula ejus, quæ poſſederunt & publico dederunt ſcripta, hæc quoque vidiſſent præſtantiora illius Opera. Nullus ambigo, quin σύνταγμα καὶ βασιλέως σπουδῆς ὄντως ἄξιον ποίημα, nec ex vana oſtentatione hunc ab Imperatore ſecundo tractatui præfixum eſſe titulum judicaturi fuiſſent. Sed ego ipſe potius elato nimis animo de hujus voluminis inventione gloriari atque lætari Tibi fortaſſe videor, & quod ſeni Plautino accidit, pro theſauro carbones reperi. Sed condonabis id, Vir Humaniſſime, meo librorum ſtudio atque amori, atque ex ea, quam, ne nimium excreſcat epiſtola, adjeci pleniori deſcriptione lemmatumque librorum atque capitum ab Amico confecta deſignatione, de pretio ejus, pro ea, qua polles, horum

rum notitia exquisitissima, ipse cognosces, atque si rogare ausim, judicium Tuum, quod velut gravissimum venerabor, imperties. Meliorem certe judicem adire haud potuissem; felicem me vero reputavero, si dignum judicabis, cujus vel tribus saltem verbis in ultimo præstantissimi Tui operis libro mentio fiat, quando optimi hujus Imperatoris scripta ea, qua soles, eruditione a Te recensebuntur. Felicissimum autem me deprædicavero, si hac occasione, quam avidissime arripui, exoptatissimam Tui amicitiam mihi comparare liceat. Omnibus, crede, viribus annitar, ne ejus in me collatæ unquam te pœniteat. Vale, atque in rei litterariæ ornamentum ac emolumentum vive quam diutissime. Dabam Francofurti d. XXIV. Apr. MDCCVIII.

II.

D. JO. ALBERTVS FABRICIVS
ZACH. CONR. AB VFFENBACH
Germaniæ nostræ Peirescio.

Incredibili me obligasti Tibi beneficio, humanissimis atque plenis in me benevolentiæ litteris tuis, quibus jucundissimum munus honoratissimæ cum amicitiæ Tuæ offertur dextera, & de insigni rarissimoque antiquitatis monumento erudita notitia mecum communicatur. Exosculor profecto eximiam hanc Tuam in me voluntatem, eamque omnibus officiis cole-

re non desinam, illa vero Voluminis tui MSti, quam ad me misisti, series tanquam pulcherrima gemmula librum meum Bibl. Græcæ sextum exornabit. Persuaseram equidem mihi in Opere Heptateucho Basilicôn, quod edidit Fabrottus, quodque & ipsum βασιλικὰς διατάξεις complectitur, aliquid simile Tuo legi, sed collato illo opere cum capitum lemmatibus a Te mecum communicatis, intellexi me falli, neque etiam in jure Græco-Romano Freheri legi, quæ Tuus Codex offert; est igitur haud dubie ineditus rarissimusque, nec minus dignus, qui in dias luminis auras proferatur, ex quo historiæ ecclesiasticæ jurisque Græco-Romani & Græcæ linguæ, mixobarbaræque Græcitatis notitiæ non exigua accessio promitti possit. Vehementer igitur te rogo atque hortor, ut cum erudito, cujus meministi, quemque conceptissimis verbis jubeo salvere, amico Tuo nulli parcas labori, quo opus hoc luculentum luci, cui debetur publicæ asseratis, atque hunc διαταξεων imperatoriarum thesaurum cum cupidis harum deliciarum lectoribus communicetis. Labbeus in Catalogo MSS. p. 270. auctor est, in Bibliotheca Regis Christianissimi exstare post Harmenopuli promtuarium libris octo distinctum pleraque alia ad utrumque jus Græcorum spectantia opuscula, officia Palatii & Ecclesiæ, ac sedes Patriarchæ Constantinopolitano subjectas

sub

sub Leone Philosopho & Andronico Palæologo II. Quin hoc volumen a Tuo diversissimum sit, ne dubito quidem: & quin sit editum (ex parte saltem) in jure Græco-Romano Freheri, in quo sedes Patriarchæ Constantinop. sub Leone subjectæ referuntur T. I. p. 88. ne hoc quidem dubito. Parisiis duplex opus sive jam evasit præla sive brevi evasurum est, quod utrumque a te inspici operæ erit pretium, alterum Bernardi Montfauconii, quo Græcorum MStorum historiam & secundum ætates dignoscendi rationes tradet, alterum Anselmi Bandurii, ex eodem, quo Montfauconius, Benedictinorum ordine Monachi doctissimi de Antiquitatibus Constantinopolitanis, quo innumera Cangio præterita supplebit. Utinam vero in me esset aliquid, quo Tibi inservire, meamque Tibi voluntatem & observantiam demonstrare possem! Nihil certe mihi futurum est antiquius, quam ut quocunque loco & tempore testatum faciam, quanti tua mihi sit benevolentia, qua ut imposterum quoque me digneris, etiam atque etiam a Te peto. DEUS Te rebus prosperis incolumem servet! Scripsi Hamburgi. X. Cal. Sept. Anni Christiani MDCCVIII.

OBSERVATIO EDITORIS
de Fatis Codicis Cerimonialis Constantiniani, ac de b. VFFENBACHII studio in editionem illius curandam impenso.

Haud injucundum fore lectoribus meis arbitror, si hanc relationem ex meis de vita ac meritis b. VFFENBACHII commentariis, adhuc ineditis, hic inseruero: ut vel hinc clarum testatumque fiat omnibus, incremento rei literariæ neque prius quicquam, neque antiquius habuisse virum, immortali memoria dignissimum. En ergo Tibi illam:

Aliud hoc anno (MDCCVII.) bibliothecæ Vffenbachianæ fausto sydere accessit ornamentum, idque omnium maximum. Collegerat hactenus felici satis industria non paucos codices manu exaratos Hebraicos, Arabicos, Turcicos, Latinos, Germanicos, alios: Græcorum vero ne unicum quidem, omni licet adhibito studio, adipisci poterat. Tandem hoc anno fortuna optatis respondit, inque ejus manus redegit codicem, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, quo acquisito totus lætitia perfusus jure poterat exclamare avidissimus priscorum monumentorum venator:

Decidit in casses præda petita meos. Fuit hic codex membranaceus, ubique singulari majestate venerabilis, sæculo XII. ele-

elegantissimo charactere exaratus (a), & , quantum constat, in orbe unicus, neque unquam editus, imo nulli, præter solum Gesnerum, sive Simlerum potius, vel cognitus, vel memoratus. Sistit cerimonias in aula & ecclesia Constantinopolitana observatas, nec non in expeditionibus bellicis & ludis publicis ac solennibus. Opus vere augustum, & quod ad posteritatis memoriam servetur non modo, sed & publicæ utilitatis causa divulgetur, cum maxime dignum, auctorem agnoscens ipsum Imperii Constantinopolitani summum quondam rectorem, Constantinum scilicet Porphyrogennetum, Leonis sapientis filium. De PEIRESCIO Gassendus (b): *Obtinuit A. 1627. ex Cypro præclarum volumen περὶ ἀρετῆς, καὶ κακίας, Constantini Porphyrogenetæ, continens excerpta ex Polybio, Diodoro, Nicolao Damasceno, aliisque historicis, ex quibus possent variæ auctorum nobilissimorum suppleri lacunæ. Incredibile autem dictu, quam pro nihilo duxerit ducentas Turonicas libras numeratas in pretium, vel ex eo, quod est conjectatus, ipsissimum esse exemplum, quod Imperator sibi habuerat, ob characterum formam, nitoremque, ob compactionis elegantiam,* ob

(a) Verba hic legis Clar. MAII, quibus usus in hoc codice describendo est in Bibliotheca Uffenbachiana MSta, Part. II. col. 537. sq.

(b) in ejus vita Lib. IV. p. 311. sq.

ob præclara carmina in illius laudem præfixa. Felicior Peirescio fuit VFFENBACHIUS, utpote cui multum præstantior codex non ex Cypro longe dissita magnis sumtibus petendus erat, sed e proxima vicinia sponte oblatus æquo pretio in manus ejus tali fortuna dignissimas ultro festinabat. Cum vero is præstantia & raritate sua longe cæteris bibliothecæ Vffenbachianæ cimeliis palmam præripuerit, interque ea tantum eluxerit, quantum inter stellas luna minores, ac in reliqua manuscripta Nostri supellectili ita coruscaverit, sicut

Nobilis Eoo splendescit gemma monili,

mearum duco esse partium, quæ ad ejus historiam pertinent, diligenter hic enarrare. Fuit olim is pars non infima bibliothecæ regiæ Hungaricæ, immensis sumtibus ac laboribus a Matthia Corvino structæ, quod insignia involucro impressa demonstrant. Hac tristi fato partim abolita, partim dispersa, quo primum pervenerit, me quidem fugit; ejus tamen jam in bibliotheca, instituta & collecta quondam a Conrado Gesnero, deinde in epitomen redacta & novorum librorum accessione locupletata meminit Josias Simlerus. Tandem possedit eum Guilielmus van der MEULEN, Theol. D. ac in illustri gymnasio Hanoviensi quondam Professor primarius, a cujus filio, proxeneta Jo. Daniele CRAMERO, exiguo eum

eum ære, duodecim nempe Imperialium pretio, emit VFFENBACHIUS, cum antea habuisset procum Jo. Carolum SCHOTTUM, Potentissimi Borussorum Regis bibliothecarium & antiquarium. Animadvertit mox Noster, sibi virgula veluti divina obtigisse incomparabile cimelium: cumque hoc anno opportune, priori domicilio non amplius bibliothecam instructissimam capiente, in ædes viri amicissimi Jo. Nicolai SCHNEIDERI, dicti Schmidt, Græcarum literarum haud imperiti, transmigrasset, illo parastata codicis præstantiam intimius cognoscere, &, qua erat animi in bonum publicum promovendum voluntate, nihil magis in votis habere cœpit, quam ut omnium oculis typorum beneficio exponi posset. Gaudii vero sui consortes redditurus eruditos, sequentis anni mense Aprili ad virum ἑλληνικώτατον D. Jo. Albertum FABRICIUM egregiam scripsit epistolam, in qua eximii hujus codicis notitiam, adjecto capitum indice, cum eo communicavit, ut aliquando bibliothecæ ejus Græcæ, operi immortali, insereretur, orbique literato sic cimelium hoc innotesceret. Fecit id suo tempore & loco (c) FABRICIUS, & subministratam sibi codicis descri-

 ptio-

(c) Scilicet in sexto bibliothecæ Græcæ volumine A. MDCCXIV. evulgato. p. 623. sqq.

ptionem cum capitum lemmatibus publice haud ſine elogio Noſtri, quem eruditione atque ingenio florentiſſimum appellat, exhibuit, ſimulque in cultus & amoris ſui teſſeram illuſtri ejus nomini volumen illud dedicavit. Ipſam ergo pleniorem præſtantiſſimi Codicis notitiam, ab Vffenbachio curate pariter ac eleganter ſuppeditatam, malim in opere laudato legi (d), quam hic repetere.

Hortatus autem eum vehementer eſt FABRICIUS, boni publici perquam cupidus, ut cum dilectiſſimo Schneidero ſuo theſaurum hunc in dias luminis auras proferre omni ſtudio contenderet. Neque deerat iis animus: ſed cum nondum ſatis inſtructi eſſent ſubſidiis, ad hoc inſtitutum neceſſariis, interim dum ſibi de iis ſollicite proſpicerent, opusque ſub manu gnaviter urgerent, ad meliorem vitam translatus eſt fidus Noſtri παραςάτης Schneiderus, cujus is in thalamum deinde, provido Numine ſic diſpenſante, ſucceſſit. Circumſpiciens ergo de alio viro idoneo, cujus in humeros laborem, Reip. literariæ tam utilem futurum, transferret, primo voluit codicem inæſtimabilem Anſelmo

(d) Exhibetur illa etiam in ſplendidiſſima operis incomparabilis editione Lipſienſi poſt b. Leichii eruditam Commentationem de vita & rebus geſtis Conſtantini Porphyrogenneti, f. XXIII. ſq.

ſelmo BANDURIO, qui alia hujus Imperatoris glorioſiſſimi opuſcula Imperio ſuo orientali ſive Antiquitatibus Conſtantinopolitanis inſeruerat, concredere, ut illo obſtetricante egregio Byzantinæ hiſtoriæ corpori annecti poſſet, lucem atque ſplendorem tam ſacræ quam profanæ hiſtoriæ allaturus haud ſpernendum. Optaſſe etiam in literis ad Jo. Alb. FABRICIUM datis (e) video τὸν πάνυ LEIBNITIUM, ut VFFENBACHIUS, quem virum doctum & librorum non vulgarium curioſum nominat, Jo. BOIVINO, cui præter alia præclaram Nicephori Gregoræ editionem acceptam fert orbis eruditus, curam hanc committeret, licet ſubdubitans, num pro illorum temporum ratione Regis Galliæ ſumtibus curandam editionem ſperari poſſit. Sed cum interea familiaritatem intimam cum Jo. Henrico MAJO Filio, Viro Græce doctiſſimo, ac inſigni Academiæ Ludovicianæ, dum viveret, ornamento, contraxiſſet, neque Germaniæ noſtræ hanc gloriam eripiendam cenſeret, ipſi hanc provinciam demandavit, quam is etiam pro tenerrimo, quo Vffenbachium ſuum complectebatur, amore ac ſingulari in orbem literatum ſtudio lubens in ſe recepit. Spes autem læta utrumque fovebat, fore, ut vel Thomas Fritſchius vel alius celebris

(e) vid ejus Epiſtolarum a Celeb. Chriſtiano Kortholto editarum, Vol. I. p. 262. ſq.

bris fortunæque lautioris bibliopola Lipsiensis manum ipsis jungeret, opusque eo, quo par est, & qui Parisiensem æmularetur, splendore publicæ luci exponendum curaret. Hac spe plenus, & VFFENBACHII ergodioctæ stimulis incitatus, bono cum Deo manum admovere operi desideratissimo constituit, quamprimum Catalogum & recensionem codicum MSStorum Hebraico-Rabbinicorum & Græcorum thesauri Vffenbachiani, tunc sub ejus manu versantem, ad umbilicum perducere contingeret. Misit vero primum A. MDCCXVI. ipsis Kal. Febr. Noster ad eum codicem cum nonnullis Glossariis aliisque libris, ipsi ad illum rite tractandum profuturis, addidit etiam versionem ab se & b. Schneidero quondam communi studio affectam ac delineatam, si quo forsan eum modo juvare illa posset. Eodem anno nonnihil jam publico de isthoc consilio innotuit per commentarios historico-criticos (*Histoire Critique de la Republ. des Lettres*) Philippi MASSONI studio in Belgio particulatim evulgatos: quæ tamen relatio minus fida VFFENBACHIO se haud probavit, ita de illa ad Majum suum ejusdem anni d. XVIII. Sept. scribenti: *In eodem Tomo* (anno nempe 1716. edito) *p. 332. meæ quoque bibliothecæ mentio fit, quam tamen Tui & mei causa factam nollem, cum plurimis scateat erroribus. Ea inprimis, quæ DU-MONTIUS (nam ab illo profecta suspicor) sermocinatur de Codice*

dice Constantini, male me habent. Sinistre enim omnia intellecta & perperam ab ipso notata sunt. Cum enim Codicem perlustraret, ac græco-barbarum deprehenderet, difficilem plane ejus versionem fore recte judicabat. Quod ego affirmans ajebam, me expertum fuisse, dum rudem aliquam cum Domino Schneidero olim tentarem, eo vero mortuo derelinquerem interpretationem. Spem vero faciebam, Te novam paraturum ac publici juris facturum. Quod ille vel perperam intellexit, vel turpiter memoria lapsus fuit, dum versionem nostram Te notis tuis illustratam editurum affirmat. Vellem sane, ut Bibliothecam meam lustrantes, si quæ notare vellent, stante pede, quæ vident vel audiunt, notarent. Id quod ego olim, ringentibus licet ac dedignantibus morosis nonnullis viris, facere solitus fui. Labilis enim hominis memoria. Præstantiora obliviscimur, alia vero sinistre, ni statim fiat, designamus. Quemadmodum hoc ipso exemplo suo nos docet Du-Montius. Qui ejus lapsus ne mihi forte imputentur, hæc monenda duxi. Ipse vero MAJUS in Bibliotheca Vffenbachiana MSta (f) in folii integri forma Halæ Hermundurorum A. MDCCXX. excusa non pleniorem tantum & exactam hujus Codicis notitiam dedit, sed ejus etiam cum versione & notis aliquando ab se publicandi spem fecit. Ab eo tempore expectata fuit avide editio ab omnibus, quibus & operis utilitas ac præstantia ex recensione, & exquisita Maji doctri-

(f) Tom. I. Part. II. f. 537. sqq.

doctrina explorata erat. Inter alios, qui ad eam maturandam Uffenbachio stimulos admoverunt, eminuit excelsæ dignitatis Vir, Dominicus PASSIONEI, nunc Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ita eum compellans: *J'ay reçu, Monsieur, avec toute la reconnoissance possible, la Lettre obligeante, qu'il vous a plu de m'ecrire; & je vous assure, que quelques fortes que seroient mes expressions, elles seroient toujours trop foibles, pour vous donner à connoitre mes sentimens dans toute leur vivacité, & dans toute leur étendue. Ce que j'ay écrit à Mr. Kisner, de l'opinion, que j'ay, de vôtre merite, n'est rien en comparaison de ce que j'en ay conçu de puis long-tems, mais sur tout, après avoir bien examiné le Catalogue des Manuscrits de vôtre Bibliothêque. Il est rare de voir les gens de vôtre qualité, se donner aux etudes, comme vous faites, & employer leurs soins, à sauver d'un debris presque universel, ce qu'il y a eu de plus precieux dans la Republique des Lettres. Mais quoique le public ait deja reçu de vous une faveur des plus insignes, par ce Catalogue, que vous luy avés mis entre les mains, vous luy estes encore redevable, & vous devés mettre le surcroit, aux obligations, qu'il vous a, en luy communiquant le celebre Manuscrit, qui est entre les vôtres: DE CEREMONIIS SACRIS ET PROPHANIS AULÆ CONSTANTINOPOLITANÆ.*

Permettés moy, Monsieur, de vous dire, avec la Sincerité d'un homme qui aime les Lettres, & qui les cultive depuis plusieurs années, que vous ne

ne sçauriés nous rendre un plus grand service, que par la publication au moins du simple texte d' un Ouvrage qui repandera beaucoup de lumieres sur toute l'Histoire Grecque du moyen âge. Je ne seray pas le seul à vous presser la dessus, & tout les sçavans seront de mesme sentiment à cet égard.

Accinxit se quoque ad editionem solerter adornandam eruditissimus MAJUS, & describendum curavit codicem eleganti manu M. Georgii Clementis Draudtii, Pædagogii Giesseni tum collegæ, quem se & ob industriam, & morum suavitatem, & variam solidamque eruditionem impense amare in præfatione, tribus prioribus Bibliothecæ Vffenbachianæ MStæ partibus præmissa, testatus est. Adstitit vero ipsi in illo labore individuus fere comes, eumque ad lectionem codicis sollicite manuduxit. Licet enim, teste ipso VFFENBACHIO (g), in eo elegantia scripturæ tanta appareat, ut integrum volumen non eadem solum manu, sed uno eodemque calamo eademque die descriptum videatur: literarum tamen character antiquior est, & a nostro multum differt, atque ideo lectionem initio difficiliorem reddit, quæ difficultas augetur per siglas vel literarum vo-

(g) in b. FABRICII Bibliotheca Græca, Vol. VI. p. 637. sq. Specimen Codicis eximii æri incisum in editione Lipsiensi exhibet Celeb. REISKIUS.

vocumque compendia, & quod voces minus distinctæ nullo plerumque interstitio sibi cohæreant. Fecisse quoque illum versionis Latinæ cum magno Uffenbachii gaudio initium anno MDCCXX. hæc verba in literis ad ipsum pridie Nonas Majas datis indicant: *Nuper ubi otium mihi erat, in manus sumsi Constantini Imp. Cerimoniale MStum, & bidui spatio quinque folia vertendo absolvi, pedemque ulterius posuissem, nisi paullo ante recensita obstacula* (pedis nempe dextri luxatio, ac inde consecuta tormina, variaque negotia) *Musis injecissent moram. Erit tamen is in posterum labor meus præcipuus, anteferamque hujus operis translationem reliquis meis negotiis omnibus, quod videam, eo communem rem litterariam carere nequaquam posse.* Videbatur etiam fortuna insignium duum virorum votis annuere, cum in autumnalibus sequentis anni nundinis Francofurtensibus Gleditschius, bibliopola Lipsiensis nominatissimus, a b. Jo. Burck. MENCKENIO excitatus, suam operam in codice sumtibus suis splendide excudendo offerret. Animus enim Menckenio, viro summo, erat, peregregium supplementum corporis historiæ Byzantinæ adornare, eique non Josephi tantum Genesii de rebus Constantinopolitanis a Leone Armenio usque ad Basilium Macedonem Libros IV. ex veteri codice membranaceo Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis a Stephano BERGLERO descriptos, & ab eodem cum Bosii apographo colla-

collatos, una cum conjecturis variis & versione ejusdem Bergleri integra, ut & variorum istius temporis scriptorum collationibus, sed Constantini etiam opus cerimoniale, ac alia forte quædam inferre.

Quod laudabile institutum cum valde probaretur VFFENBACHIO, statim Majum suum enixe rogitavit, ut caput quoddam notabile e codice aureo seligeret, idque versione Latina notisque donatum, Lipsiam speciminis loco ad illustrem Menckenium transmittendum, ab eoque Actis Eruditorum inserendum, primo quoque tempore secum communicaret. Præstitit id Majus, sed variis impedimentis prohibitus, mense demum Februario anni MDCCXXII. caputque de coronatione Augusti elegit.

Licet autem MENCKENIVS id, confestim ab Vffenbachio transmissum, gratum sibi acceptumque in literis d. VII. Apr. exaratis testatus fuerit, nescio tamen, quî factum sit, ut neque hoc, neque initium etiam operis paulo post cum ipso communicatum publicæ luci in Actis Eruditorum exposuerit. Imo plane deinde (quibus de causis incertum) ad anni usque MDCCXXV. d. XIX. Oct. siluit. Tum vero rem denuo ursit, ac me etiam rogavit, ut Nicephori Gregoræ elegantem panegyricum, Constantini M. laudibus dicatum, e codice b. Raymundi KRAFFT DE DELLMENSINGEN describerem, e

quo specimen in Amœnit. liter. Tom. III. p. 89. sqq. exhibueram. Hunc enim quoque adhuc ineditum insigni suo, quod moliebatur, corporis historiæ Byzantinæ supplemento adjicere constituerat Vir de orbe literato immortaliter meritus. Sed consilium suis impensis hoc in lucem proferendi abjecisse deinde videtur bibliopola. Omnis enim hæc res egregie cœpta auspicato successu caruit, & ipse b. MENCKENIVS tandem Genesium suum Bartholomæo Javarinæ, Venetorum typographo, novam eamque auctiorem scriptorum Byzantinorum editionem apparanti, paucis ante mortem diebus concessit, qui non ita pridem cura Bonini, Javarinæ demortuo in hanc provinciam succedentis, cum aliis scriptoribus Byzantinis in dias luminis auras prodiit (h). Dolendum vero, reliqua etiam doctissimi Maji circa Constantinianum codicem molimina fuisse irrita. Anno quidem MDCCXXIV. d. IV. Febr. hæc ad Vffenbachium suum perscripsit: *Stat sententia de officiis domus Augustæ ex tuo illo gemmis & gazis anteferendo codice, bono cum Deo exponendis, facturusque sum periculum vel in una alterave disputatione publica, vel, ubi id minus succedere, inopia respondentium, voluerit,* in

(h) vid. vitam b. Menckenii ab Illustri ejus filio D. Friderico Ottone MENCKENIO Dissertationibus b. parentis præmissam, p. XLVII.

in quibusdam speciminibus, quæ Cl. Wolfio Hamburgum transmittam, ut Anecdotis suis Græcis inserat. Video, me in commodum publicum præstantius quid moliri non posse, & quod majorem mihimet ipsi laudem conciliet; quare urgebo institutum, instabo, &, volente Numine, suo tempore perficiam, addente stimulum regio Byzantini corporis opere, quod illustrem Steinheilium nostrum nuper nactum nuntiasti, cui, datis ad ipsum litteris, hunc thesaurum gratulatus hodie sum. Sed nihil hujusmodi vel in b. Jo. Christoph. WOLFII Anecdotis Græcis, vel alias in lucem exiit. Anno autem MDCCXXV. d. XXIII. Nov. Vffenbachium de laudabili consilio certiorem reddidit, quod cum duobus collegis doctissimis ceperat, singulis nempe nundinis evulgandi tomum selectarum observationum ad rem literariam spectantium, cui operi varia Constantiniani codicis specimina ac argumenta nonnulla notabiliora ex eodem diligenter excussa inspergere decreverat, hac fortassis ratione, vel bibliopolam Lipsiensem jam dictum, vel si hic, quod animus præsagiebat, renueret, Hamburgensem aut Belgicum aliquem permoturus, ut operi desideratissimo publicæ luci exponendo obstetricantes manus præberet. Verum & hoc eximium institutum haud processit, atque adeo nihil plane adhucdum ex incomparabili codice Constantiniano depromtum, quod ego quidem sciam, prodiit, si lemmata capitum inde decerpta excipi-

am. Aſſervantur viri πολυμαθεςάτε obſervationes quædam in Nov. Teſt. ex hoc opere, nec non Gloſſarium Græco - barbarum, voces nondum obſervatas, aut non ſatis accurate pertractatas, collectasque ex eodem exhibens, in Academiæ Gieſſenſis bibliotheca, cui ſupremæ voluntatis tabulis librariam ſupellectilem ſuam legavit (i). Atque hæc quidem plenius de laudato codice commemorare placuit, partim quod is nobiliſſima veluti gemma theſauri Vffenbachiani fuerit, partim ut inde eluceat, quantum ſtudii curæque illuſtris ejus poſſeſſor ei publici juris faciendo, licet in caſſum, impenderit. Tandem vero is illum cum aliis publice venum expoſuit, atque tum magno ipſi ſolatio fuit, quod Germaniæ non fuerit ereptus, ſed in illuſtrem Ampliſſimi Senatus Lipſienſis bibliothecam pervenerit. Superbit itaque hodie iſthoc quantivis pretii cimelio ac Maji etiam apographo illa elegantiarum omnium ſedes, Lipſia, idque curæ potiſſimum acceptum refert viri uti in juris prudentia, ita in hiſtoriarum cognitione excellentiſſimi, laudeque noſtra majoris D. Jo. Jacobi MASCOVII, cujus hiſtoriam Germaniæ, opus ætatem laturum, Itali etiam, Belgæ & Angli admirantur, inque ſuum ſermonem converſam

(i) vid. des Heſſiſchen Heb-Opfers XX. Stück. p. 928. ſq.

ſam cupidiſſime & cum plauſu legunt. Is enim auctor ſuaſorque extitit Magnifico Lipſienſium Senatui, ut non hoc duntaxat cimelium ſed & alia quædam ex Vffenbachiana bibliotheca ſibi vindicaret, Gallisque ei jam inhiantibus illud feliciter præriperet. Sicuti igitur hoc nomine viro incomparabili non Germania minus univerſa, quam Lipſia multum debet; ita rogatum hac eum occaſione enixiſſime volumus, ut qui operi eximio Germaniæ noſtræ vindicando dextram præbuit, illud etiam in publicam tandem lucem, qua digniſſimum eſt, auſpicato proferendum curet, præclariſſime hoc pacto de orbe literato meriturus. Et hujus quidem noſtri nos deſiderii aliquando fore compotes, ipſe Vir Illuſtris literis humaniſſime ſcriptis hilarem mihi ſpem excitavit, quod lætus jam iis, quibus meliorum literarum flos & incrementum curæ cordique eſt, annuncio, & magno illi Muſarum fautori laudabilis conſilii exoptatos ſucceſſus ex animo apprecor.

* * *

Hæc pridem ſcripſeram. Nunc vero tripudiante calamo addere poſſum, primo impoſitam eſſe ab Ill. MASCOVIO opus deſideratiſſimum inque ſuo genere incomparabile publicam in lucem proferendi provinciam elegantiſſimæ doctrinæ Viro, Jo.

 Hen-

Henrico LEICHIO, qui eximia commentatione de vita & rebus gestis Constantini Porphyrogenneti, Imperatoris Byzantini, ipsi nobilissimo operi egregie prælusit: hoc autem, funere nimis maturo literis erepto, editionique immortuo, insignem hanc telam continuandam ac perficiendam tradidit Viro Linguarum Orientalium & Græcæ quoque longe callentissimo, ac omnibus ad spartam hanc feliciter ornandam dotibus & subsidiis instructissimo, Jo. Jacobo REISKIO, cujus solerti cura auspicato in primæ magnitudinis forma, charta typisque nitidissimis, anno superiore primum volumen in lucem exiit; alterum vero, commentariis optimæ frugis decoratum, ab illius industria, quicunque literis bene cupiunt, mecum avidissime præstolantur.

III.

D. JO. ALB. FABRICIO.

Pudore plane confundor, quoties Tui subit animum cogitatio, quod quam sæpissime fit, cum illam ob tua, quibus me devinxisti, merita dimittere nunquam possim. Dum enim perpendo, quod ex eo tempore, quo Te coram videre contigit, Te nondum compellaverim, neque pro summa, qua me amplexus es, benevolentia

tia debitas gratias egerim, ingrati animi notam metuo, atque ne me ex Amicorum Albo velut indignum expunxeris afformido. Plurima equidem afferre possem, quibus me omni culpa, Te etiam pro summa Tua & æquitate & bonitate annuente, liberarem, uti sunt injecta per iter nostrum ad biennium mora, insecuta post reditum in Patriam per Electionem & Coronationem Cæsaream inquies & molestia, ac denique, quæ me Tui causa non parum anxit sollicitumque fecit, urbis vestræ maxima eheu! calamitas. Prætexere etiam possem unam ex evangelicis illis excusationem, initum nimirum conjugium. Sed singularis Tua, Vir Magnifice, humanitas omnibus hisce ambagibus supersedere facit, indubitatisque argumentis evicit, Te licet contra decori amicitiæque leges diuturno nimis silentio peccantem amare non destitisse, nec justa oblivionis pœna afficere voluisse, sed publice potius non una vice demonstrasse, quanta cum fide atque integritate amicitiam colere atque servare magnorum virorum exemplo noveris. Gratissimo enim animo perspexi, Te non solum in egregiis supplementis Tuis (k) Livii mei mentionem honorificentissimam fecisse, sed etiam, quod hesterno die, cum a Bibliopola exoptatissimum jam diu opus summo cum

 gaudio

(k) vid. D. Fabricii Biblioth. Lat. Vol. II, p. 120.

gaudio demum reciperem, cupidiſſimeque, ut Tua ſoleo, revolverem, animadverti, Te Codicem meum Byzantinum in poſtrema Bibliothecæ Tuæ inſtructiſſimæ parte recenſuiſſe, ſummis laudibus ornaſſe &, quod maximum, integram præſtantiſſimi, quod unquam orbis litterarius vidit, operis partem nomini meo inſcribere non dubitaſſe. Pro qua maxima Tua benevolentia, proque ſummis, quibus me decoraſti, honoribus maximas equidem Tibi, Vir Celeb. ago gratias, quonam autem modo referre poſſim, neſcio. Auro animus liberalis Tuus offenditur potius, ut ſuſpicor, quam placatur, tantique pretii doctiſſima Tua ſcripta æſtimo, ut remunerari nummis Te velle piaculum crediderim. Quid de immortalitate dicam, qua nomen meum donaſti per ſcripta, quæ, dum ſtabit hujus machina mundi, dum erunt homines, dum aliquis ſupererit bonarum litterarum cultus, nunquam ſunt interitura. Quid redhoſtimenti pro tanto favore Tibi præſtare poſſim, non diſpicio. Ne tamen plane ingratus exiſtam, litteraria quædam parabo donariola, quæ pro Tuo in libros amore ſtudioque non ſpernes, uti confido. Allaborabo etiam, ut, quantum in viribus meis erit, quavis data occaſione gratum animum Tibi teſter: quemadmodum quæcunque libraria mea ſupellex ſervat, Tuis uſibus patebunt. Doleo autem, quod ob nimiam locorum, qui nos ſejungunt, diſtan-

tiam

tiam plene uti frui meo qualiquali apparatu nequeas. Interim cum vel mea de quibusdam notitia Te juvare, crebraque de iisdem per litteras colloquia non injucunda esse posse credam, de MStis meis Græcis ac Latinis, veterum scil. Autorum, atque de primis eorum intra sesquiseculum ab artis typographicæ inventione editionibus, ut & aliis Historiæ litterariæ capitibus criticique argumenti monumentis subinde, si volupe Tibi fore cognovero, perscribam. Cum multis viris doctis suavissimum tale intercedit commercium, cum quibus de iis, quæ benigna sors offerre solet, gaudere consuevi, quod demum lætitiæ de acquisitis cumulum afferre mihi videtur. En quæ non ita pridem ad Amicum dulciss. Majum F. detuli. Quæ eo lubentius hic repetam, cum Tibi non minus quam ipsi arrisura sperem.

Nullum gaudium est, quod ex iis, quæ benigna mihi fortuna tribuit, capio, nisi tu, amicorum dulcissime, mecum percipias, quod demum lætitiæ cumulum affert. Accipe igitur novam gaudii voluptatisque causam, mecumque exulta. Inciderunt nuperrime in manus meas, o me ter, imo decies beatum! decem prægrandia volumina docta Polyhistoris illius, Joh. Petri LOTICHII (l) manu ad unum omnia exarata tibi

(l) conf. Bibliothecæ Uffenbach. universalis Tom. III. p. 458. sqq. 478. sqq. 599.

æque ac mihi, cum critici maximam partem sint argumenti, jucundissima futura. Non igitur tædio erit, si omnia, quæ continent, enarravero. Tomi tres priores Commentarii sunt in eum, quem tu in aureis observationibus *elegantissimum Nequam* vocas eleganter, Petronium scilicet, venereæ artis Magistrum, supremumque litium, causarumque amatoriarum arbitrum. Stupendus sane ac improbus labor est, quem huic autor impendit, duplo enim auctiores reddidit notas suas, typis olim exscriptis. Quartum volumen secundam, novamque plane Responsionum, sive Excursuum in eundem Petronium partem complectitur, Glossarium etiam & Adagia Petroniana, omnia inedita. Tomus quintus præ reliquis mihi acceptissimus Epistolarum libros XIV. habet, a viris præstantissimis scriptas, nec dum vulgatas. Sexto conduntur opera LOTICHII Poetica, altera parte auctiora. Septimus varia de Poetis Nov-antiquis, noctes academicas, & de Summo Bono dissertationes continet. Octavus opera refert Poetico-Historica, tertiæque partis Rerum Germanicarum sciagraphiam. Nonus Tomus minoris pretii præ reliquis videtur, complectens opera Physica & Medica, jamjam edita. Decimus denique alium autorem habet Petrum LOTICHIUM Secundum, Germanorum Poetarum omnino Principem. Nova autem multumque aucta collectio hæc est operum SE-

CUN-

CUNDI, quam una cum vita vaticiniisque in lucem dare voluit meus LOTICHIUS, vir ſane laborioſiſſimus. Equidem me non latent malevola ſiniſtraque GOLDASTI in epiſtolis, qui intimum tamen ſincerumque mentiebatur ſe viri amicum, judicia. Illa tamen non minuent gaudium noſtrum, cum rerum curioſiſſimarum theſaurum me adeptum ſciam, licet judicium ingeniique aciem ſubinde in collectore requirere poſſis. Non ſine voluptate perluſtrabis olim ingentia iſthæc volumina. Augebo lætitiam tuam, amice chariſſime, ſi aliud his cimelium, quod e Belgio cum plurimis aliis adferetur mihi, addidero. Nili Aſcetæ Epiſtolæ ſunt, a Leone ALLATIO Romæ 1668. Fol. editæ, ab ipſo, ſi fides Catalogo tribuenda, notis manuſcriptis auctæ atque ornatæ. Sed de illis, antequam nactus ſim, nil definire audeo. Alios tres quoque codices manuſcriptos græcos, Patrum quædam complectentes, quos amicus ex Italia mihi attulit, atque promittit, taceo, ne triumphum ante victoriam tibi canere videar. Primus tamen omnium mecum de illis ovabis. Hæc nuper ad Majum meum d. 31. Mart. 1714.

Non ægre feres, ſi te adhuc monuero, errorem procul dubio a Typothetis commiſſum eſſe in ejus nomine, qui Livium meum manu ſua condecoravit. Nam VAN DER

DER BORCHT, non autem *Bocht* (l) nominabatur. Nec etiam is Electori Palatino Carolo Ludovico ab antiquitatibus fuit: sed filius ejus eodem nomine parique antiquitatum cognitione instructus. Pater autem Comiti ARUNDELIO, antiquitatis studiosissimo familiaris fuit, ut ex sequenti inscriptione ejusdem effigiei a Filio depictæ, atque ab ingeniosissimo W. Hollar æri incisæ, quam nuper forte fortuna nactus sum, subjecta intelligere poteris. *HENRY VAN DER BORCHT de Brusselles, ou il naquit l' an 1583. d' ou il fut emmene en Allemaigne par les troubles l' an 1586. & apres il a appris la peinture chez Gilles Valckenborgh; estant retourne d' Italie il a demeure a Frankendael jusques en l' an 1627. qu' il est venu demeurer a Francfort au Palatinat estant aussi un amateur admirable de toute sorte de raritez & antiquitez ainsi que le Comte d' Arondell le cherisoit pour les raritez & Curiositez qui il avoit eu de luy tant en medailles que peintures & autres sortes d' antiquitez.* Transcripsi haec, prout juxta veterem orthographiam, unaque cum commissis vitiis extant. Nummorum, quos summa dexteritate adjunxit Livio meo, sunt DCC-

(m) In editione Hamburg. A. 1721. hic error jam emendatus est. De hoc vero insigni artifice conf. Joach. de SANDRART Academia artis pictoriae, f. 301. ubi vocatur Henricus van der Borch, vel Borchensis.

DCCCCLXXXIII. Inscriptionum vero Græcarum ac Latinarum DXLII. Nec silentio praeterire possum, me tres alios libros ejusdem industria, similibusque ex antiquitate ornamentis illustratos possidere. Julium Caesarem nimirum, OCCONIS Numismata, & Itali cujusdam rarissimum opus *Discorsi sopra le Medaglie Sebast. ERIZZO.* Postremum insigni nummorum numero in Familiarum Romanarum honorem cusorum superbit, d. XIII. Aug. MDCCXIV. (n).

D. JO.

(n) Inter bibliothecæ suæ cimelia b. VFFENBACHIUS retulit etiam alia hujusce generis splendida opera, v. g. Pausaniam Basileæ A. MDL. in fol. typis Oporini excusum, quem Carolus Henricus de KLETTENBERG & Wildeck, S. Sepulchri Hierosolymitani ordinis Eques, ac Seren. Friderici Hassiæ Landgravii supremus quondam venatorum saltuariorumque Magister, nummis CLXXXIII. pulcherrimis, maximam partem Græcis, scita manu sua ornavit atque illustravit: nec non Historiæ Romanæ Scriptores Latinos veteres, Genevæ A. MDCXX. in fol. evulgatos, quos vir laudatus charta pura distingui, inque quatuor volumina compingi curavit, notis vero historico-geographicis, numismatibus, statuis, inscriptionibus, plurimisque

IV.

D. JO. ALB. FABRICIVS.

Magnæ mihi voluptati fuit, quod munusculum meum sextumque Bibliothecæ meæ Græcæ Tomum, quem amplissimo nomini Tuo inscribere ausus sum, non es adspernatus, sed humanissimis literis demonstrasti, Tibi illud non minus probari, quam meum offerentis animum, quem volebam inprimis deditum Tibi constare. Cæterum oblatus vicissim nomine Tuo a nostro Liebezeitio BANDURIUS ruborem incussit mihi, curtæque supellectilis me vere admonuit, ad quem collatus liber

---

que aliis antiquitatibus, calamo elegantissime depictis condecoravit. Splendidissimum hoc exemplar veterum Latinorum Historiæ Romanæ Scriptorum ex Vffenbachiana deinde pervenit in Bibliothecam Perillustris Bern. Franc. Lib. Baronis de HALLBERG, atque ex hoc derivata est magnifica eorundem scriptorum editio, plurimis figuris æneis superbiens, quam Viro Clar. Bennoni Casp. HAURISIO acceptam ferimus. Hoc itaque etiam nomine orbis eruditus optimo VFFENBACHIO, qui eximium opus servavit, primusque in catalogi sui Tom. IV. p. 52. in famam misit, grates debet.

ber meus non poteſt non ſordere, ac diſſimilitudine non formæ minus, quam pretii ob oculos ponere mihi, quam Tu nolis vinci officio, ſed me in ære tuo eſſe cupias. Erit illud opus quidem pulchrum in Bibliothecula mea monumentum Tuæ in me benevolentiæ, ſed nec minus eris tu orandus mihi, ut quod in compenſationem deeſt meo, amore & benigna æſtimatione, ut facere ſane videris, ſuppleas. Eſt jam ſub prælo ac utcunque procedit Volumen Bibliothecæ meæ ſeptimum, in quo inedita hactenus complura, ut Dionyſii Thracis Ars Grammatica, Libanii Orationes aliquot & Epiſtolæ, aliaque aliorum ſcriptorum. Collegæ mei Clariſſimi, Jo. Chriſtoph. WOLFII, (cujus Notitiam Karæorum & Lexicorum Hebraicorum Hiſtoriam, Hiſtoriam Manichæorum, Bogomilorumque, Caſauboniana, & Philoſophumena Origenis credo videris) Bibliotheca Rabbinica, Bartolocciano opere longe, licet longe minori mole, plenior & accuratior, proximis nundinis vernalibus prodibit, & dimidiam partem jam eſt profligata. Ex Gallia longe præſtantiſſima maximaque ſibi quæ promittat, habet literatus orbis. Concilia ex Jo. HARDUINI recenſione intra paucos menſes exſtabunt venalia XIII. Voluminibus. Sub idem tempus promercalis erit Catalogus MSS. Graecorum Bibliothecae Seguerianae, quae hodie Coſli-

liniana eſt, COSLINII Ducis & Epiſcopi Metenſis, eruditorum Maecenatis illuſtriſſimi. Hujus Auctor Catalogi MONTFAUCONUS plura inſeruit monumenta pulcherrima adhuc ἀνέκδοτα, quemadmodum Edmundus MARTENE praeter collectionem pridem vulgatam monumentorum veterum latinorum, praeclaraque de ritibus Eccleſiae opera, olim edita, jam praelis ſubjectum habet Theſaurum Anecdotorum novum quinque Voluminibus in fol. ſolis ad Hiſtoriam Gallicam & Eccleſiaſticam facientibus antiquis monimentis inſtructum, quem idem, quem paulo ante dicebam, MONTFAUCONUS non dubitat præferre ſpicilegio Dacheriano. Novam Baſilii verſionem ad editionem ſummo expolitam & indefeſſo duodecim annorum ſtudio exſpectamus a præclaro viro & excellentis ingenii, Juliano GARNERIO, quemadmodum Cyrillum Hieroſolymitanum ab Auguſtino TOUTTEO. Petrus vero COUTANT, cujus Hilarius notus tibi eſt, typis ſubjecit Epiſtolas veterum Pontificum uſque ad Innocentium III. recenſitas ad codices MSS. atque notis Criticis illuſtratas. Ab eodem proxime habebimus librum oppoſitum Bartholomæo GERMONIO de veteribus hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum corruptoribus. Dionyſius SAMMARTHANUS novam Galliam Sacram parat decem minimum vel undecim Voluminibus, cujus primus Tomus

mus post breve tempus erit in manibus eruditorum. Guilielmus vero BESSINUS Concilia imprimi curat per Normanniam habita. Joannis etiam Chrysostomi bina Volumina prima editionis novæ Montfauconianæ jam excuduntur, quemadmodum & Stephani BALUZII, doctissimi senis, Historia Ecclesiastica patriæ suæ, Tutelensis. Idem jam paratum prælo habet S. Cyprianum collatum cum MSS. amplius triginta. MONTFAUCONUS pomeridianas horas ab aliquo jam tempore impendere dicitur operi, quod inscribet Antiquitates iconibus repræsentatas una cum singularum expositione. Continebit tabulas æneas amplius MCC, figuras ultra 30000. BANDURIO ad præfecturam Bibliothecæ Mediceæ vocato jam integrum est per Magnum Ducem, tam diu Lutetiæ commorari, donec Numismata imperatoria sequiorum temporum, quæ pulcherrimo opere collegit, in lucem emisit. Ajunt urbem illam obrutam veluti eluvione innumerorum schediasmatum, Constitutioni Pontificis anti-Quesnellianæ oppositorum. Interim Papa nescio quæ minatur Cardinalibus Noallio, Estreo, Poligniaco, Archiepiscopo Turonensi, Episcopisque Mirapicensi, Montispessulano, Cabilonensi, Boloniensi, Bajonensi, Maclaciensi, & Senensi, qui Constitutionem illam recipere nolunt, Episcopisque aliis,

liniana est, COSLINII Ducis & Episcopi Metensis, eruditorum Maecenatis illustrissimi. Hujus Auctor Catalogi MONTFAUCONUS plura inseruit monumenta pulcherrima adhuc ἀνέκδοτα, quemadmodum Edmundus MARTENE praeter collectionem pridem vulgatam monumentorum veterum latinorum, praeclaraque de ritibus Ecclesiae opera, olim edita, jam praelis subjectum habet Thesaurum Anecdotorum novum quinque Voluminibus in fol. solis ad Historiam Gallicam & Ecclesiasticam facientibus antiquis monimentis instructum, quem idem, quem paulo ante dicebam, MONTFAUCONUS non dubitat præferre spicilegio Dacheriano. Novam Basilii versionem ad editionem summo expolitam & indefesso duodecim annorum studio exspectamus a præclaro viro & excellentis ingenii, Juliano GARNERIO, quemadmodum Cyrillum Hierosolymitanum ab Augustino TOUTTEO. Petrus vero COUTANT, cujus Hilarius notus tibi est, typis subjecit Epistolas veterum Pontificum usque ad Innocentium III. recensitas ad codices MSS. atque notis Criticis illustratas. Ab eodem proxime habebimus librum oppositum Bartholomæo GERMONIO de veteribus hæreticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus. Dionysius SAMMARTHANUS novam Galliam Sacram parat decem minimum vel undecim Voluminibus, cujus primus To-

mus

mus post breve tempus erit in manibus eruditorum. Guilielmus vero BESSINUS Concilia imprimi curat per Normanniam habita. Joannis etiam Chrysostomi bina Volumina prima editionis novæ Montfauconianæ jam excuduntur, quemadmodum & Stephani BALUZII, doctissimi senis, Historia Ecclesiastica patriæ suæ, Tutelensis. Idem jam paratum prælo habet S. Cyprianum collatum cum MSS. amplius triginta. MONTFAUCONUS pomeridianas horas ab aliquo jam tempore impendere dicitur operi, quod inscribet Antiquitates iconibus repræsentatas una cum singularum expositione. Continebit tabulas æneas amplius MCC, figuras ultra 30000. BANDURIO ad præfecturam Bibliothecæ Mediceæ vocato jam integrum est per Magnum Ducem, tam diu Lutetiæ commorari, donec Numismata imperatoria sequiorum temporum, quæ pulcherrimo opere collegit, in lucem emisit. Ajunt urbem illam obrutam veluti eluvione innumerorum schediasmatum, Constitutioni Pontificis anti-Quesnellianæ oppositorum. Interim Papa nescio quæ minatur Cardinalibus Noallio, Estreo, Poligniaco, Archiepiscopo Turonensi, Episcopisque Mirapicensi, Montispessulano, Cabilonensi, Boloniensi, Bajonensi, Maclaciensi, & Senensi, qui Constitutionem illam recipere nolunt, Episcopisque aliis,

 qui

qui receperunt sane, sed cum conditione, ne præjudicium Evangelio & libertati Ecclesiæ afferat. De thesauro tuo scriptorum Lotichianorum, quemadmodum de tot aliis luce dignis cimeliis, gratulor Tibi ex animo, nec dubito, daturum te operam, ut propediem in publicos usus perennemque gloriam Tuam ex illa tam egregia gaza tua prolaturus sis nova & vetera, quibus cum voluptate fruantur eruditi. Exquisitissimæ Doctrinæ viro, Jo. Henrico MAJO Filio, conceptissimam salutem dici rogo meo nomine, cujus Observationes sacras avide nec sine fructu legi, summa cum voluptate exosculatus ejus ingenium, eruditionem ac studium sacras literas, quod feliciter facit, illustrandi. Debeo etiam ipsi grates singulares pro transmisso insigni monumento, oratione Basilii notis ejus expolita, quam conabor, ut primum occasio sese offeret, munere aliquo referire. VII. Cal. Decembr. Anni Christiani clↃ IↃccxIv.

Coronidis loco adjicio nova literaria, Lutetia Parisiorum ad me nuper missa.

NOUVELLES LITTERAIRES.

Le Roy a donné une pension de 2000. Livres à M. KUSTER. Il y a environ six mois qu' il est à Paris où il a fait abjuration de la Religion protestante. Les Lettres ne perdront rien à ce

ce changement : Du moins verrons nous paroitre une Dissertation de luy sur la nature des Verbes moyens chez les Grecés. Il pretend qu' elle n' a pas esté assez connüe aux Grammairiens ni anciens ni modernes , & il s' attache à faire voir que ces Verbes ne sont ny purement actifs ny purement passifs , mais qu' ils renferment toujours l' action avec la passion ; ce qu' il justifie par un grand nombre de passages des plus celebres Auteurs de l' Antiquité. A la suite de ce Traité on trouvera une Reponse au Livre , que M. PERIZONIUS a publié contre luy par raport à l' Aes grave *des Romains. Tout cela est actuellement sous la presse. Cela sera suivi d' une nouvelle Edition d' Hesychius , après quoy il travaillera tout de bon à nous donner son Dictionaire latin beaucoup plus ample que celuy de Robert Estienne, & dont on a deja veu le* Prospectus.

On a commencé l' impression d' un Livre du Pere LAMY de l' Oratoire intitulé de Tabernaculo foederis de sancta civitate Jerusalem & de templo ejus. *C'est un Ouvrage auquel l' auteur travaille depuis un grand nombre d' années, & qui sera rempli de plusieurs figures. La premiere partie est maintenant achevée d' imprimer , il y en a six ; & le tout paroitra sur la fin de l' année prochaine.*

Le Dictionaire de M. du CANGE de la moyenne & basse Latinité est aussi sous la presse. La

premiere feuille est tirée ; & cette edition l'emportera certainement sur toutes celles qui ont paru jusqu'à present. On n'en doutera pas, si l'on considere qu'elle sera de beaucoup augmentée, & que la pluspart des additions sont de M. Du Cange même. Ce qu'il y a de constant, c'est qu'on a un Exemplaire de son Dictionaire écrit de sa propre main & chargé d'un bon nombre de notes.

Nous allons voir paroître une nouvelle Edition du traité de l'Analyse des jeux. Ce traité est de M. de Montmort, qui l'a augmenté de près de moitié.

On se prepare aussy à mettre sous la presse une collection d'ouvrages par le Pere MARTENNE. Ce recueil sera presque tout composé de pieces qui n'ont pas encore veu le jour, & qui ont echapé aux recherches de Canisius & de Dom Luc d'Achery. Ce recueil pourra monter jusqu'à 4. ou 5. Volumes in folio ; & en cas qu'il soit gousté du Public, nos Libraires font esperer de donner une nouvelle Edition du Spicilege auquel on joindra le Canisius.

V.

D. JO. ALB. FABRICIO.

Serius, fateor, quam par erat, ad doctissimas mellitissimasque tuas respondeo.

Non

Non mea tamen negligentia, nec Tui oblivione, quæ nunquam me capiet, factum fuit; sed variorum negotiorum moles, ingensque librorum e Belgio nuper receptorum cumulus, novique Musæi instructio conantem hactenus impediverunt. BANDURIUM meo nomine tibi oblatum non displicuisse, est sane, quod gaudeam. Exile equidem præ munere Tuo præstantissimo redhostimentum mihi videbatur, ast non ingratum tibi existimabam, quod CONSTANTINI mei, quem tanto una mecum mactasti honore, reliqua opuscula contineret. Cæterum non leve spectabis munusculum, sed animum potius meum, tibi certe devotissimum. Ex omnibus, quorum tu jucundissimam spem fecisti, novis edendis operibus nullum majori me affecit voluptate, quam septimus Bibliothecæ tuæ Græcæ Tomus sub prelo sudans. Det tibi Numen benignissimum vires vitamque, ut brevi colophonem desideratissimo operi addere, novosque te patre, tam numerosa egregiaque prole jam superbiente, dignos partus felicissime eniti possis. Collegæ tui honoratissimi Bibliothecam Hebraicam, futuris nundinis vernalibus eruditis aperiendam, lætissimis omnes mecum boni lustrabunt oculis. Maximas ei habeo gratias, quod ipse instituti certiorem reddere voluerit. Ast doleo, quod annexis justissimis ejus

petitis satisfacere nequiverim, cum amicissimus MAJUS meus illum anteverterit. Annus enim jam est, & quod excurrit, ex quo horis subsecivis Codicum meorum Hebraicorum recensionem molitus est. Constitutum mihi erat, reliquorum etiam Mstorum meorum tam veterum Græcorum ac Latinorum, quam etiam recentium pleniorem designationem adjicere. Sed cum altioris indaginis maximique laboris sit, tantumque otii mihi jam non suppetat, nudos tantum dare cogor illorum titulos, eum in finem, ut eruditi sciant, quæ favente divina, quam exosculor, providentia, in usum doctorum, reique publicæ litterariæ emolumentum, qui unicus omnibus bonis debet esse finis, hactenus conquirere licuerit. Omnia sane in publicos usus concedam quam lubentissime. Addam quoque indicem librorum meorum, a viris eruditis collatorum, emendatorumque, nec non librorum in primis ab artis typographicæ inventione annis intra sesquiseculum scil. typis exscriptorum. Quæ omnia non injucunda fore tibi spero. Erunt enim in his plurimæ e primis Vett. autorum editionibus, quæ tuos, oculissime in his alias Arge, oculos subterfugerunt. Fuerunt ex amicis, qui integrum librariæ supellectilis Catalogum edi vellent, sed penuriæ meæ probe conscius, & quantæ es-

ſe debeant Bibliothecæ, tali hedera dignæ, chartæ, cujus tanta noſtris temporibus pernicies eſt, parcendum duxi. Non inconſultum tamen crederem, ſi Catalogum meum ſpecialiſſimum librorum evulgarem in unum corpus redactorum, vel aliis inſertorum adjectorumque, quem e libris meis multo certe ſudore pro indefeſſo in rem litterariam librariamque ſtudio confeci, quorum numerus ad duodeviginti millia excrevit, qui in ſeriem alphabeticam a me digeritur. Ex hoc enim non ſolum amici de meo qualicunque librario apparatu ex parte cognoſcerent, ſed quantæ utilitatis eſſe poſſet, Tu optime judicabis, qui talibus indiculis præſtantiſſima opera tua ornare non dubitas, nec ullus, cui ſanum ſinciput, resque litteraria ac libraria cordi eſt, ambiget. Multas hujus inſtituti utilitates notavi, jamque ipſus expertus ſum, quas in præloquio proferam. Si ad umbilicum perduxero, peterem a te, ut obſtetrices manus benevole porrigas. Res enim Bibliopolarum noſtratium indies in pejus labuntur, ut nil commercii cum iis habere velim, Belgæ vero non niſi criticis capiuntur. Non ingratum tibi fore confido, ſi antequam finiam, de duobus, quæ inter alia bene multa Mſtta hactenus acquiſivi, quicquam adjiciam. Prioris argumenta in adjecta ſchedula leges, amanuen-

 nuen-

nuensisque lapsus condonabis, cum per festinationem relegere nequiverim. Alterum non nisi duobus foliis, ast magno satis pretio mihi constat. Præstantissimum autem est, atque ob canam antiquitatem venerandum. Septimi enim vel octavi seculi est, si fides optimo horum judici Montfauconio Palæogr. Gr. Lib. III. Cap. 5. pag. 223. seq. habenda. Ibi enim Codicis apud R. R. P. P. Jesuit. in Collegio Ludovici M. quem inter præstantissimos omnium Codices jure enumerandum censet, specimen dat, cujus characteri fragmentum meum ad amussim concordat, atque respondet. Continent autem duo ista folia epistolam ad Hebræos (o). Dolendum vero intermedia capita deficere scil. a Cap. IV. commate 4. usque ad Cap. XII. vers. 19.

Non contemnendas tamen lectiones ex-

(o) Ex hisce membranis varietates lectionum, interque eas quasdam notatu valde dignas annotavit MAJUS in Bibliotheca Uffenbachiana MSta. fol. 513. sq. Usus illis est ad præclaram suam Novi Testamenti Græci editionem adornandam Venerabilis Abbas, Jo. Alb. BENGELIUS, si integer hic codex exstaret, hodie vix parem habiturum censens in Introductione in Crisin Novi Testam. p. 377.

exhibet, quas Millius ſolertiſſimus, nimisque, quod multis videtur Theologis, anxius alias harum ruſpator, inter innumeras, quas congeſſit, non præbuit. Has quoque in tuos uſus deſcribi feci. Addidiſſem quædam adhuc de ineditis aliquot in Tacitum Commentariis Mſtis, quos nuper adeptus ſum, ſed charta deficiente, Vale. d. 2. Febr. 1715.

OBSERVATIO

de Catalogo ſpecialiſſimo omnium librorum & opuſculorum, in variis collectionibus comprehenſorum, vel aliis inſertorum annexorumve.

Meminit in ſuperioribus literis b. VFFENBACHIUS Catalogi librorum ſpecialiſſimi, operoſo labore ab ſe confecti, haud ergo incongruum fore cenſui, ſi, quæ de iſthoc argumento in meis de ejus vita commentariis pridem ſcripſi, heic exhibuero.

Sub ipſum anni MDCCVI. primordium aggreſſus eſt VFFENBACHIUS laborem, arduum quidem atque moleſtum, ſed inſigni utilitate commendabilem. Videlicet cum bibliotheca quotidianis fere acceſſionibus feliciter augeſceret, neceſſarium non ſibi tantum, verum aliis etiam illa

dextre usuris, duxit, præter generalem librorum catalogum, specialissimum quoque conscribere, in quo sigillatim omnes libri & quævis opuscula vel in variis collectionibus comprehensa, vel aliis libris inserta aut annexa, vel in unum corpus redacta annotarentur. Haud enim vanam spem conceperat, hoc pacto fore, ut opes suas literarias, tam diligenter conquisitas, penitius cognoscere sibi amicisque liceret. Et profecto, si dicendum, quod res est, illiusmodi demum catalogus specialissimus bibliothecæ copiosioris usum reddit satis commodum, ejusque necessitatem omnes, qui aliquanto librorum apparatu gaudent, facile agnoscent. Iis enim, qui insignem librorum numerum habent, omnia, quæ quovis volumine continentur, memoria tenere, in numerato habere, ac ad unguem nosse vix datur, nisi quibus tam curta supellex est, ut omnium, quos possident, librorum tituli in unguem transversum scribi possint, vel qui vix plura ad mercenaria studia sua exercenda adhibent volumina, quam sartores vel alii opifices ad artem exercendam instrumentis vel organis opus habent. Licet vero talis fortasse labor apud inexpertos ac parum idoneos judices exiguam vel nullam plane laudem habeat, majorem tamen utilitatem afferre potest, quam multa alia, quæ ab iisdem in cœlum efferuntur,

opera,

opera, quod ii lubentes agnoſcent, quibus res literaria & libraria curæ cordique eſt. Quot enim, quæſo, dantur vaſtæ rerum Germanicarum, Francicarum, Hiſpanicarum, Italicarum, Britannicarum, Belgicarum, Septentrionalium, Hungaricarum, Polonicarum, Bohemicarum, Byzantinarum, Indicarum &c. collectiones; quæ ſi generaliori duntaxat titulo in catalogum referantur, multa ſæpe in iis comprehenſa ibi haud facile quæſiveris. Optarim igitur maximopere, ut vir quidam doctus in grandiora hujusmodi ſcriptorum hiſtoricorum cujusvis gentis corpora indicem ſpecialiſſimum librorum ac opuſculorum, e quibus illa conſtant, accurata diligentia concinnaret, qualem in quinquaginta quatuor ſcriptorum rerum Germanicarum collectiones optimo conſilio adornavit, Lipſiæque edidit Jo. Paulus FINCKE. Idem de bibliothecis Patrum, ROCCABERTI pontificia, fratrum Polonorum, eccleſiaſtica J. A. FABRICII, Oceano tractatuum juris, GRUTERI theſauro Critico, OTTONIS theſauro juris Romani, GRÆVII, GRONOVII, SALLENGRII, POLENI, & UGOLINI Antiquitatum Romanarum, Græcarum & Hebraicarum theſauris; SCHILTERI Antiquitatum Teutonicarum theſauro, GRÆVII & BURMANNI Antiquitatum Italiæ & Siciliæ theſauro, BASNAGII Monumentorum eccleſ. & hiſtor.

the-

thesauro, MARTENE & DURANDI, nec non PEZII Anecdotorum thesauris, Criticis sacris Anglicanis, MENTHENII, IKENII & HASÆI dissertationum exegeticarum thesauris, collectionibus biographicis, DORNAVII Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ, WOLFII lectionibus memorabilibus, Ortwini GRATII Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum, Deliciis poëtarum variarum gentium, variis anecdotis, vindemiis, spicilegiis, miscellaneis, analectis, electis, fasciculis, symmictis, actis, museis, syntagmatibus, aliisque id genus syllogis pronunciandum venit. Nosse hinc opportune præter cætera liceret, quinam libri de his aliisve argumentis sint editi, ac ubinam illi sint inveniendi, ne edita jam alicubi opera pro ineditis habeas, eaque vel gravi pretio redimens te pariter ac crumenam tuam defraudes, vel prælo, quod sæpe contigit, ceu anecdota subjicias. Commendandus vel hoc nomine de meliori nota est catalogus bibliothecæ Augustanæ, Eliæ EHINGERI studio A. MDCXXXIII. evulgatus, in quo sæpius distincte enarrantur libri variis in collectionibus obvii. Sic v. g. a folio 261. usque ad fol. 296. index omnium librorum, oceano tractatuum juris contentorum, exhibetur. Idem de orthodoxographia & hæresiologia Basileæ quondam edita, Margarini item de la BIGNE, Biblio-

Bibliotheca Patrum, CANISII antiquis lectionibus, ac variis scriptorum historicorum aliorumque collectionibus dicendum est, quarum contenta syllabo diligenter confecto Ehingerus exposuit. Idem in libris bibliothecæ suæ laudabiliter præstitit Abbas Joannes FABRICIUS. Laudari etiam hac ratione præcipue meretur Catalogus bibliothecæ Cardin. IMPERIALIS ordine alphabetico Justi FONTANINI opera conscriptus, in quo annotatum sedulo deprehendis, quibus in collectionibus hi aliive virorum doctorum libri inveniantur. MENCKENIUS quoque ὁ μακαρίτης in Bibliothecæ suæ copiosæ pariter ac selectæ catalogo perquam concinne digesto passim præstantiora scripta, variis in collectionibus obvia, indicat.

Pariter ITTIGIUS peculiari opere illa patrum & veterum scriptorum ecclesiasticorum monumenta diligenter recensuit, quæ in bibliothecis & catenis patrum aliisque hujus commatis collectionibus conjunctim prodierunt: sicuti J. A. FABRICIUS in Græca & Latina hacque tam veteris, quam medii ævi Bibliotheca, quæ in varii generis collectionibus exstant, scripta distincte enarravit, qui etiam in conspectu thesauri literarii Italiæ laudabili industria corpora scriptorum de rebus antiquitatibusque Romanis, Italicis & Siculis, MURATORII Mediolanense, Weche-

chelianum SCHOTTI, Græviana & Burmannianum cumGronoviano acSallengriano theſauro percenſuit. Idem utiliter a duumviris celeberrimis, Struvio ac Budero, in multis ſcriptorum hiſtoricorum collectionibus recenſendis in ſelectaBibliotheca hiſtorica præſtitum, ut plures ſilentio prætercam. Sed deſideratur adhuc univerſalis, quantum quidem fieri poteſt, omnium librorum & opuſculorum, vel in variis corporibus comprehenſorum, vel aliis libris inſertorum aut annexorum, Index, ſecundum literarum ordinem cum cura concinnandus, indicatis ubique collectionibus operibusve, tomis & paginis, ubi illa exhibentur: qui labor uti hominem maxime induſtrium ac moleſtiarum patientiſſimum efflagitat, ita a nemine feliciter exantlari poteſt, niſi qui bibliothecam longe inſtructiſſimam vel plures in promtu habet, atque alienis inſuper ſubſidiis ea, quæ ſibi deſunt, ſupplere omni animi niſu contendit.

Quam vero fuiſſet rei literariæ ſtudioſis proficuum, ſi catalogum ſuum ſpecialisſimum hoc anno inchoatum ac deinde ſolerti multorum annorum induſtria continuatum publicæ tandem luci, quod ſecum aliquando conſtituerat, expoſuiſſet VFFENBACHIUS? Cum ſuperiorem epiſtolam A. 1715. exararet, numerus librorum in eo catalogo notatorum ad duodeviginti millia adſcendit. De-

Decennio autem post numerus istiusmodi scriptorum, in variis bibliothecæ ejus collectionibus latentium, ad sexagies mille excrevit; de quo in epistola ad Theologum & Philologum Hamburgensem celebratissimum, Jo. Christophorum WOLFIUM, A. MDCCXXV. d. XXIV. Nov. hæc perscripsit: *Bibliotheca mea apocrypha, quæ omnia vel in corpus redacta, vel aliis inserta atque annexa scripta, quorum numerus ad LX. mille ascendet, exhibet, per viginti & quod excurrit annos ex libris meis summo studio serie alphabetica collecta, divina gratia intra aliquot menses absolvetur. Latebit vero illa æque ac alter Bibliotheca mea MSta tomus in Museo meo, atque mihimetipsi soli usum præstabit, cum a me impetrare nequeam, ut abjectos bibliopolam, qui sumtus editionis ferat, conciliandi vel potius emendicandi modos, quibus eruditi hodienum, proh pudor! uti coguntur, adhibeam, etsi improbos illos labores meos rei literariæ ac librariæ studiosis haud levem, quod sine arrogantia dictum puta, afferre utilitatem posse habeam persuasissimum. Interim sufficere mihi potest, quod ipsemet meo qualicunque literario apparatu exantlatis illis, de quibus dixi, laboribus eo melius uti frui queam, quamvis aliis, quod tamen in votis semper fuit, minus prodesse liceat.*

Titulum operi præfigere hunc volebat: *BIBLIOTHECA VFFENBACHIANA APOCRYPHA VEL LATENS* h. e. *librorum in corpus redactorum vel aliis insertorum & adjectorum,*

rum, privatos quidem in usus plurimis abhinc annis ab ipso possessore Z. C. ab VFFENBACH colligi cœpta, ac multo labore continuata, nunc vero ob summam ejus utilitatem & in bibliothecariorum & bibliophilorum gratiam publici juris facta. Idem consilium erat Francisco SALMONI (p) Doctori & Bibliothecario Sorbonico, si scripta spectes ad historiam potissimum ecclesiasticam facientia. Moliebatur enim is Bibliothecam alphabeticam instrumentorum ecclesiasticorum, duobus in folio voluminibus absolvendam, sed observationibus simul historicis & criticis instructam. Instrumentorum vero ecclesiasticorum nomine intelligebat acta, vitas, chronica, narrationes, gesta, relationes, libros, tractatus, indices, bullas, diplomata, epistolas, martyrologia, liturgias, calendaria, chartas, & cætera monumenta, quæ in miscellaneis similibusve collectionibus locum habent, ac quodammodo delitescunt.

Fallor, aut de Herculeo labore, quem universalis hujus generis librorum Index efflagitat, locum habet, quod virorum quondam maximus Jos. SCALIGER de concinnandis Lexicis cecinit: *Si*

(p) de hoc ejus consilio vide Cel. Magni CRUSII dissert. epistol. de scriptis quibusdam integris fragmentisque ineditis, quæ in itineribus reperire contigit, p. 63. sqq.

Si quem dura manet sententia judicis olim
Damnatum ærumnis suppliciisque caput:
Hunc neque fabrili lassent ergastula massa,
Nec rigidas vexent fossa metalla manus:
Lexica contexat: Nam cætera quid moror? omnes
Pœnarum facies hic labor unus habet.

* * *

Hæc multis jam abhinc annis literis consignaveram. Sed addere nunc juvat, prodiisse interim Lipsiæ bono rei literariæ fato primum Tomum, tribus quadruplicis formæ voluminibus comprehensum, Catalogi Bibliothecæ BUNAVIANÆ, qui, sive librorum, etiam præstantissimorum, copiam, sive concinnum ordinem spectes, quod ego quidem sciam, parem haud habet. Illius disponendi rationem præscripsit ipse Celsissimus incomparabilis istius thesauri Conditor atque Possessor, HENRICUS COMES BUNAVIUS, Musarum hodie & Præsidium & dulce Decus, cujus singulari munificentiæ, ceu donum splendidissimum, eum quoque acceptum refert mea bibliothecula: ipsum vero Catalogum stupendo labore insignique dexteritate concinnavit, ac publicæ luci exposuit literatissimus mihique amicissimus illius Gazæ præfectus, Jo. Mich. FRANCKIUS. In eo autem digerendo hanc servavit rationem Vir doctissimus, ut suis ubique

locis libros, variis collectionibus & operibus vel insertos vel annexos, studiose enarraret. Imo integrum fere volumen secundum absolvitur indice Scriptorum, qui vitas vel elogia singulorum virorum, eruditione & scriptis illustrium, literis consignaverunt, secundum ordinem literarum disposito, qui instar exquisitæ *Bibliothecæ biographicæ*, qualem hactenus desideravit eruditus orbis, haberi potest. Tertio autem volumini triplex index, isque copiosissimus, auctorum & anonymorum, in tribus Tomi I. voluminibus obviorum, ac rerum præcipuarum, de quibus Scriptores adducuntur, magno lectorum commodo adjectus est.

VI.

D. JO. ALB. FABRICIO.

Nunc, quod nuper facturum me spopondi, ante omnia dicendum erit de novis in Tacitum Commentariis, manu exaratis. Prior est illustris PORTNERI, Consiliarii Cæs. Aulici, quo Forstnerianas in Tacitum notas augere atque supplere voluit, ac meo quidem judicio feliciter, imo egregie præstitit, adeo ut Forstnerum eruditione, exemplorum copia, judicio, si non superasse, certe æquasse videatur.

Alte-

Alterum Volumen Martini SCHOCKII Dissertationes elegantissimas complectitur. Possideo etiam Celeb. FORSTNERI historico-politicas Ephemerides Mstas (q),

 ad

(q) Tanto, cum Ephemerides illas A. MDCCVII. nancisceretur ac perlustraret, delibutus est gaudio VFFENBACHIUS, ut id celare non potuerit virum sibi amicissimum, Jo. Dan. CRAMERUM, ad quem d. XIII. Oct. hæc perscripsit: *Audi, quæ nuper mihi felicitas obtigit; inciderunt in manus meas excellentissimi prudentissimique viri, Christophori FORSTNERI, ast quanti viri, Ephemerides manuscriptæ, quas ab anno MDCLVII. usque ad MDCLXVII. pro solidissima sua eruditione atque sublimi in politicis scientia, nec minori styli elegantia contexuit. Quam egregiæ sint, satis dicere nec queo, nec, si possem, opus esset, quod ex præstantissimis ejus in Tacitum notis aliisque scriptis facile existimabis. Quod ex muneris Cancellarii dignitate atque officio cum prudentissimis ac maximis sui temporis viris habuit gravissimorum negotiorum & litterarum commercium, multa aliis ignota arcanioraque ipsi subministravit, quæ libero cum judicio, solido tamen, in proprios usus atque notitiam sibi sedulo annotavit. Utinam plurimorum modo annorum seriem emensus esset!* Exhibuit in monumentis suis ineditis p. 507. sqq. Joachi-

ac spes mihi est potiundi plurimarum ejus Epistolarum, quæ omnia cum præcedentibus in unum Volumen congesta eruditis non injucunda existimarem. Ephemerides OBRECHTUM & WEBERUM luci dare voluisse memini, sed ille a rege Galliæ, ne res Alsaticas ulterius tangeret, vel alia Gallis adversa vel odiosa moliretur, publico Prætoris officio donatus; hic vero, quod in Austriacam gentem liberius scriptæ essent, consilium mutavere. Cum in Belgio degerem, nactus sum Volumen aliquod præstantissimum Mst. in membr. (r). Est id autoris, cujus nullibi mentionem reperire potui, Falesii Francisci a Burgundia ad Philippum, Hispaniæ Regem. Præfixa epistola prolixa unius anni fere iter ipsius regis continetur. Sequitur ad Eundem Ode dicolos distrophos, sic incipiens:

Hue

achimus Frid. FELLERUS ex his ephemeridibus insigne fragmentum de statu comitiorum illius ævi, e qua lacinia de integri texti præstantia facile judicium fieri potest, satisque apparet, VFFENBACHIUM haud injuria tam præclare de hoc scripto sensisse.

(r) conf. de hoc Codice Bibliothecam Vffenbachianam MStam, Part. IV. col. 226. sqq.

Huc properare licet jam jam, generose Philippe,
Nil turpe premit hæc diserta pagina,
Obscoenumque nihil præsens molitur Jambus,
Sub involucris abditur sapientia.
Hac brevitas celebrata refert diverbia quondam,
Vitæ quibus deprenditur nostræ tenor. &c.

Continet autem liber primo Gregorii Theologi sententias e Græco, Senarios proverbiales ex Poetis Græcis collectos, & in Latinum idioma traductos, & sub titulos digestos. En primum:

In bonos Viros.

Nunquam bonos viros bonus vir oderit,
Proba opera semper ex animo fiunt probo,
Bono viro Deus largitur optima,
Imitare prudentes viros & candidos,
Nam tempus est moris boni experientia &c.

Hos excipiunt aurea Pythagoræ carmina e Græco. Ultimo denique loco occurrunt varia Epigrammata ad Philippum regem de regibus Romanis &c. & alia ejusdem autoris carmina sane elegantissima. Aegre fero, quod libellus hic non dudum se oculis memoriæque meæ stiterit, ut ejus tibi notitiam dedissem, quo illius, si operæpretium judicasses, in præstantissima Bibliotheca mentionem facere, vel e Græco versa, cum ultra viginti quinque folia formæ, quam vocant, octavæ, non efficiant, eidem inserere potuisses. Id tamen in supplementis, si tibi videatur, fieri poterit.In-

ter alios libros nuper Argentorato accepi D. Jo. Georgii FABRICII, Medici Norimbergensis, der Boschen von Dünckelspühl Nürnberg &c. Stamm-Register. 1657. Fol. pag. 60. quod ideo moneo, cum nulla hujus scripti in Centuria Cognominum tuorum, quos tu omnes, qui unquam extiterunt, aut etiamnum lucem videbunt, Fabricios superans, summique hujus nominis decus, colligere dignatus es, mentio fiat. Meo, nescio, an omnibus? exemplo præfixi sunt non solum jam dicti autoris, sed aliorum quatuor Fabriciorum imagines, subjectis cuique carminibus. Primus est Jo. Fabricius, Norimbergensis, ad D. Laurentium Ecclesiastes, qui Lutheri atque Melanchthonis summus amicus, exilium passus, Tezelioque restitisse dicitur. Alter Jo. Bapt. Fabricius, Arithmeticus Norimbergensis fuit. Tertius itidem Jo. Bapt. Fabricius Pastorem Furthensem per XXI. annos egit. Quartus denique M. Jo. Fabricius, Norimbergæ ad D. Sebaldi Ecclesiastes exstitit, anno MDCXXXV. ætat. LXXV. Ministerii XLVII. Hæc monuisse non ingratum tibi putavi. d. 25. Jun. 1715.

VII.
D. JO. ANDREÆ DANZIO, Philologo Jenensi.

Dum bibliothecam aliquam in proprios &

& aliorum usus instruo, variorum hactenus librorum apparatum undique conquisivi, atque etiam inter cæteros a Judæo quodam multos eosque non infimæ notæ libros emi. Et cum viderem, quanta cura atque solertia, quæcunque corradere potuit, afferat, atque perpenderem, quod lucri bonus odor ad quævis indaganda Judæos reddat idoneos, admonendum duxi, si quod Manuscriptum offenderet, ut mihi quoque apportaret. Nec me spes fefellit. Tribus enim diebus elapsis afferebat mihi codicem membranaceum vetustissimum. Claudianus erat tanta diligentia exaratus, ut ultra trecenta loca, quod ex collatione cum BARTHII, aliorumque editionibus egregiis perspexi, ex eo restitui possint. Quanta mea, Vir Celeberrime, fuerit lætitia, dicere nequeo. Et licet probe animadverterem, deesse aliqua, finem nimirum Belli Gildonici atque Epigrammata, nullus tamen dubitavi, quin Codicem hunc alias integerrimum atque optimum squalori atque vermibus eriperem, quoque eo magis Judæum ad plura investiganda allicerem, quicquid pro eo exegit, lubens dedi. Id quum cerneret, alia in promtu esse ajebat, sed Hebraica, eaque non nisi ea conditione, ut sancte promitterem, me nulli ex suis id notum facturum, vendere se posse. Alias enim, se rigidissimæ Synagogæ Censuræ obnoxium fore, asserebat. Ea enim Judæ-

orum vana superstitio est, ut etiam literulam vel punctum ex plateæ sordibus, tanquam cimelium eruant atque auferant. Accedit odium erga Christianos quam atrocissimum, metusque ne quicquam de iniquitatis eorundem mysterio reveletur. Hinc nil ægrius ferunt, quam si quidquam de Scriptis suis in Christianorum manibus esse sciant. Sed tu, Vir Doctissime, hæc omnia melius nosti. Postquam igitur eum de fide mea certiorem reddidi, accepi ab eo codices quosdam, pluresque habere potero, si modo alicujus momenti esse sciam. Ignarus enim linguæ Hebraicæ nesciebam, an carbones pro thesauro nactus sim. Dum igitur id edoceri cupiebam, a nullo melius fieri posse credidi, quam a Te, pro exactissima Tua in Orientalibus scientia. Nec de promto paratoque animo tuo dubitavi, cum præclarissima in Rempublicam litterariam merita, quæ tibi debentur, mecum reputarem. Tecum igitur, tanquam experientissimo eorundem æstumatore, specimina communicavi (s), sed nullum Te ex istis ferre

(s) Fecit id curante Viro Clar. Jo. Henr. ACKERO, suo olim in Gymnasio Rudolphopolitano commilitone, qui tum elegantiores literas in Academia Jenensi docebat: quod didici ex hujus literis, ad

ferre posse judicium facile prævidi. Integrum igitur Tibi, Vir Excellentissime, Codicem mitto, sique operæ pretium duxeris, reliquos quoque transmittam. Sex ejusdem sunt commatis, cæteris vero non idem characteris nitor est (t). Si quid

D 5 for-

ad VFFENBACHIUM exaratis, ubi inter reliqua: *Quæ mandasti, studiose diligenterque curavi. Conveni DANZIUM, literasque tuas una cum specimine Codicis MSti Hebrai ostendi, qui honorificentissimis verbis laudavit propensam tuam voluntatem, animumque egregiò publico devotum. De hoc vero specimine nullum se posse ajebat facere judicium, partim quod initia tantum contineret, partim quod vocalibus esset ornatum contra morem Rabbinorum. Petit vero observantissime, velis totius corporis inspiciendi copiam facere, promittit se bona fide de pretio operis judicaturum, &, si esset alicujus momenti, in lucem producturum, laudato tuo & nomine & præclara voluntate.*

(t) Fuere hæc auspicata initia apparatus manuscripti Hebraici, quem deinde paulatim tam solerter ac prospere adauxit, ut numerus Codicum Hebraicorum ad ccxxxv. assurgeret, haud una computatis reliquis Codicibus orientalibus, quorum etiam non paucos in bibliothecam suam congessit, aliorum studiis promte in-

forſan erit, quod publico inſervire queat, non invidebo. Interim quam maxime lætor,

inſerviturus, fortunamque ſuis deſideriis faventiſſimam in hoc inſtituto expertus. Apparet vero hinc etiam, non temere & inconſulto noſtrum Muſagetam ſuam adornaſſe codicumHebraicorum aliorumque orientalium ſupellectilem, aut vanæ tantum oſtentationis cauſa, ſed publicæ utilitatis gratia; conſilioque in illis ſtrenue colligendis uſum eſſe feliciter Virorum in hisce literis principum, qualis erat DANZIUS, & qualis poſtmodum uterque Jo. Henricus MAJUS,& pater & præcipue filius. Erudite illos Codices Hebraicos recenſuit MAJUS filius in Bibliothecæ Vffenbachianæ MStæ parte prima. Indicem quoque eorum, qui tandem æquo pretio ad maximi nominis Theologum Philologumque Hamburgenſem, Jo. Chriſtoph. WOLFIUM, virum, dum viveret, mihi amiciſſimum, pervenerunt, exhibet Tomus III. Bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis, p. 3.--54: reperitum in Bernh. MONTFAUCONII Bibliotheca Bibliothecarum Manuſcriptorum nova, Tom. II. f. 1169. ſqq. Nunc hi Codices cum omni theſauro librario Wolfiano exſtant in opulentiſſima Bibliotheca Perilluſtris Reip. Hamburgenſis.

tor, quod aliquam nactus ſim occaſionem Tibi innoteſcendi, meumque erga te animum declarandi. Augebis lætitiam meam, ſi tantum de graviſſimis Tuis negotiis detrahere, mihique tribus duntaxat verbis reſpondere non gravaberis. A. MDCCVI. d. X. Oct.

VIII.

D. LUDOV. CHRISTIANUS MIEGIUS, Theologus Heidelbergenſis.

Deſideratiſſimos illos tuos Codices Hebræos MSS. qui in hodiernis Judæorum juribus & ritibus exponendis uſui eſſe poſſunt, & ad eorum SCHILCHAN ARUCH quam proxime accedunt, remitto, Tibique, Vir Prænobiliſſime, quod eos mecum communicare volueris, prolixas gratias ago, nil magis in votis habens, quam ut qualicunque obſequii teſtificatione inſignem illam tuam erga me benevolentiam demereri queam. Atque ut hoc ipſum ab affectu inſigni, quo erga quosvis literarum ſtudioſos animatus es, profectum fuit, ita eandem mihi etiam poſthæc benevolentiam ſpondeo, ſi quando ea mihi neceſſario utendum ſit. Quam autem gratiam meritis vicemque tuis referam & beneficiis, necdum ſcio, nec eſt, quod ut transmit-

tam

tam operæ pretium judicem, quam Dialogos BODINI, de quibus noviſſime mentionem feci. Curaſſem, ut deſcriberentur, niſi & eſſet exemplum, quo utor, jam pridem a juvenibus iſtiusmodi, quorum opera hic uti deberem, perquam vitioſe deſcriptum, & poſſent quidam eorum aliquid inde periculi capere, ut eſt ingenium cum maxime juvenum pronius ad errores captandos, quam ea, quæ ad veritatem atque pietatem faciunt. His unum, ſi velis, alterumve ſubmittam Codicem Epiſtolarum, plerisque necdum in ordinem redactis. Tomum primum & ſecundum (*The Works of the Learned*) ſi data occaſione evolvere poſſem, id vero pro ſingulari beneficio haberem, ſed nolo vel in primis importunus eſſe atque moleſtus. Heidelbergæ d. 7. Sept. 1708.

IX.

D. LUD. CHRIST. MIEGIUS.

Acta Eruditorum Pariſienſium diurna (*Journal des Savans*) dum noctu volvo & revolvo, incido T. 27. Ann. 1699. p. 597. in Extractum Epiſt. GALLANDI ad VAILLANTIUM, in qua Nummi Conſtantini mentionem facit, in cujus altera parte legatur GLORIA EXERCITUS, & appare-

at

at inter duos milites & ſigna Romana affabre exſculpta Crux Chriſti. Evolve quæſo inſignem tuum apparatum nummarium, num ejus formæ quædam appareant veſtigia; ſunt mihi quatuor hujus generis nummi minimi moduli, quarum altera pars vultum Conſtantini ſignat, altera autem duos milites haſtatos & ſigna duo militaria vel etiam unum exhibet, cum ea inſcriptione GLORIA EXERCITUS, ſed crucis ego nulla veſtigia cerno, imo & in Conſtantino juniore ſola militaria ſigna abſque cruce apparent. Fallor itaque multum, aut illa crux a falſario quodam inſerta fuit, vel clypeum ſigni pro transverſo crucis ligno habuit, quomodo in nummo omnium minimo ſignum unum ea ratione exprimitur, ut fere pro cruce habeatur. Putem itaque eum non minus circa hunc nummum, atque Pater de la Chaiſe circa alterum illum, qui orbem refert ſuper altari, quem ille hoſtiam eſſe putavit, cum typus orbis univerſi ſit, erraſſe. Quantum Tu tibi de tuo Codice Græco gratularis, tantum egomet mihi de Codice Epiſtolarum Paulinarum, quadratis literis exarato. Aliquot enim in eo deprehendi varias lectiones, quas niſi Millius in ſua editione referat, nusquam etiamnum deprehendi, & quæ mihi videntur multo planius & facilius fluentem exhibere textum. Id ſi tibi faſtidio non ſit, gratum erit ea de re vobiscum, quibus purum

rum illud labium (ut Musa dedit Grajis ore rotundo loqui) non displicere novi, confabulari. Comitiorum MULLERI Historiam nondum vidi. Prius ejus Scriptum de Confessione Augustana habeo. Solidum est, sed, si argumenta ad marginem distinctius notasset, gratius multo foret. d. 24. Nov. A. 1708.

X.

D. LUDOVICO CHRISTIANO MIEGIO.

Nolui prius ad tuas respondere, quam absolutum BODINI Dialogum tibi cum debita gratiarum actione remitterem. In utroque me nimiam moram fecisse, pro singulari tua humanitate haud ægre feres. Non putaram tam longam tædiosamque eo describendo operam futuram, alias vix aggressus fuissem hunc laborem, quem tamen alii committere nec tutum nec ob mendas, quibus exemplar scatebat, consultum duxi. Quæ a me (scilicet NB. a p. 134. sqq.) correcta, emendata ac restituta, tuo jussu margini adscripsi, nescius an ubique sensum feliciter assecutus fuerim; græca ac hebraica non attigi, cum illius linguæ me vix gnarum, hujus autem plane rudem ingenue profitear. Sunt etiamnum variæ lacunæ variaque hinc in-

de

de loca, nimis corrupta, quæ si ex illo, de quo tuum exaratum est, exemplari aut aliunde restitui possent, pergratum foret. Interim maximas tibi debeo gratias, quod hunc Bodini Dialogum benevole mecum communicare volueris. Summa enim cum eruditione, licet non eadem ubique soliditate, sinceritate ac quam maxime desideres pietate a Bodino, aut a Guilielmo Postello, sive ex hujus scriptis, quod Diecmannus vult, concinnatus est. Miror tamen, Huetium aliosque viros doctissimos arbitratos fuisse, Judaicam religionem præprimis in eo stabiliri, cum tamen et hujus, ut cæterarum omnium, fundamenta plane etiam evertat, nec tantum illi exornandæ studium adhibeat, nisi ut christianam religionem eo facilius subruat, tandemque solam naturalem, qui verus libelli scopus est, genuinam omniumque præstantissimam esse evincat. Id quoque DIECMANNUS in sua de Bodini Naturalismo dissertatione perspexit quidem, num vero Bodini argumentis satisfecerit, alii judicent (u).

Nunc

(u) Nostro ævo profanum Bodini opus e suis, quibus dignum est, tenebris in publicam lucem commentario instructum protrahere voluit Polycarpus LYSERUS, Professor, dum viveret, Helmsta-

Nunc ad nuperas tuas accedo. Nummus Conſtantini a GALLANDO productus, in cujus parte averſa inter ſolennia ſigna militaria crux erecta & affabre ſculpta apparet, plane rarus eſt, nec ullibi a me repertus. In multis quidem, qualem ipſe poſſideo, paſſimque obvii ſunt, ejusdem Conſtantini M. & cum eadem inſcriptione: GLORIA EXERCITUS: in Labbaro apparet monogramma Chriſti ex Græcis litteris P. & X. compoſitum, ubi X. crucem refert compactam, ſeu primam ejus ſpeciem, ſcilicet decuſſatam, vulgo *Andreanam*, de qua LIPSIUS cap. VII. Lib. I. de Cruce apud

---

ſtadienſis, ſed publica auctoritate hoc, quicquid fuit conſilii, ſufflaminatum fuit. Præter Diecmannum, Morhofium, Struvium, Bælium, Buddeum, Reimmannum, alios de Bodino ejusque impio ſcripto diſſeruit, & mutuas quasdam Jo. Capellani, Hermannique Conringii epiſtolas evulgavit Woldebrandus VOGTIUS in Polyc. Lyſeri Icone omnis generis doctrinæ, p. 66. ſqq. conf. *Melanges de Litterature, tirez des Lettres Manuſcrites de M. CHAPELAIN (par M. CAMUSAT)* p. 167. ſqq. *P. NICERON Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire des Hommes illuſtres.* Part. XVII. p. 262. ſq. & Sam. ENGELII Spicilegium librorum rariorum, ejus Bibliothecæ ſelectiſſimæ additum, p. 6.

apud quem etiam Lib. III. Cap. XV. dictorum nummorum ectypum, plures etiam apud PATINUM, aliosque videas. Hujusmodi numiſmata a Filiis Conſtantini ac poſterioribus Imperatoribus permulta cuſa fuere. Imo OISELIUS Conſtantii unum depingit, 'in quo ipſa verba: HOC SIGNO VICTOR ERIS, leguntur. Sed in commentariis p. 463. quod ſemper exiſtimavi, ipſe fatetur Oiſelius, cum Euſebius, Socrates, Sozomenus ac reliqui omnes rem iſtam (de ſigno ſcilicet in aëre viſo) aliter atque aliter narrent, nec ſibi invicem conſtent, parum a veritate aberraverit, qui totum hoc negotium ad pias veterum fraudes referendum cenſeat. Hæc ille. Tantum abeſt, ut ex his nummis, quod Gallandus gloriatur, fides Chriſtiana Conſtantini demonſtrari poſſit. Quæ quam ſuſpecta ac ſimulata fuerit, declaravit vir celeberrimus, D. Chriſtianus THOMASIUS (x) Tom I. Obſervationum Halenſium,

 ob-

(x) Conſtantinum M. tam atris carbonibus a THOMASIO & Godofr. ARNOLDO denigratum præter alios ſolide vindicavit vir, dum vitali frueretur aura, ſummus, Jo. FRICKIUS, inter præcipua Sueviæ noſtræ decora jure ſuo referendus, in Diſſ. de fide Conſtantini M. haud dubie Chriſtiana, quæ Ulmæ A. 1713.

obſervatione XXII. XXIII. & XXIV. Sed ut ad crucis ſignum revertar, Conſtantinus cum Maxentio pugnaturus videtur mihi hoc ſtratagemate uſus, ut milites, inter quos plurimi Chriſtiani, hoc figmento ad fortius pugnandum incitaret, quod cum ex voto ſucceſſerit, non ſolum ſigna militaria, quod omnes hiſtorici & ex iis Lipſius narrat, ſed numiſmata etiam, cruce ab ipſo ornata fuiſſe arbitror. Et licet Euſebius contendat, ab univerſo exercitu prodigium cum admiratione viſum, idem tamen ſibi ipſi contradicens, velut rem admirabilem & vix credibilem, poſt longum temporis intervallum ab Imperatore ſibi enarratum ac juramento confirmatum fuiſſe, fatetur. Demus etiam, milites in cœlo quicquam obſervaſſe, annon nubeculam velut oſtentum ſuſpexiſſe potius credendum? Quis ignorat, ſtrenuos duces rebus etiam leviſſimis multitudini fucum ſæpius feciſſe, & his animos ſuorum excitaſſe? Sozomenus angelos etiam velut ex machina, verba: *in hoc o Conſtantine vinces*, proferentes, producit, Nicephorus

1713. prodiit. Conf. quæ de hoc argumento erudite, uti ſolet, diſſerit celebratiſſimi nominis Theologus, D. Jo. Georgius WALCHIUS, in Hiſtoria eccleſiaſtica N. Teſt. variis obſervationibus illuſtrata, Tom. I. p. 156. ſqq.

rus vero & Zonaras ſtellas iſta expreſſiſſe contendunt, quæ lucis ſplendore, ſole in cœlis adhuc exiſtente ac prælucente, apparuiſſe affirmat Euſebius. Quis autem æquo animo ferat haſce fabuloſæ narrationis (y) contradictiones, ut reliqua, quæ hoc viſionis Conſtantini figmentum produnt, taceam, ne nimium excreſcat epiſtola. Illud ſaltim addo, HECKELIUM peculiarem de ſimili cum monogrammate nummo diſſertationem epiſtolicam jamdudum edidiſſe, atque exinde Conſtantini fidem demonſtrare voluiſſe. Sed eodem jure, quo alterum, quem eadem opera deſcripſit Heckelius, de baptiſmate nummum TENZELIUS in Colloqu. menſtr. Tom. I. p. 885. ſqq. rejecit, reprobandus ac falſitatis arguendus mihi videtur. Ibidem etiam p. 881. Tenzelius errorem circa nummum orbis typum referentem non Patri DE LA CHAISE, ſed PEIRESKIO (z) viro alias eruditiſſimo ac anti-

(y) De hac narratione omnino conferri meretur modo laudatus Ven. WALCHIUS, l. c. p. 1563. ſqq.

(z) Et recte quidem, uti patet ex epiſtola Gallicana Jacobi SPONII, in Relationibus innoxiis de nov-antiquis Tom. V. p. 557. obvia. Scripta autem eſt illa epiſtola ad P. de la Chaiſe. conf. Petri ZOR-

tiquitatum peritiſſimo, tribuit. d. 12. Febr. 1709.

XI.

D. LUD. CHRISTIANO MIEGIO.

Ante omnia gratiæ tibi pro benevolo conceſſo Lambecianorum Commentariorum volumine agendæ ſunt. Rem certe pergratam feciſti, quod illius uſum ad meum præſtantiſſimi hujus operis exemplum hoc auctario (a) ornandum præbueris. Utinam vero invidæ Parcæ celeberrimo huic viro vitæ filum non abrupiſſent,

---

ZORNII Diſſ. de nummis quibusdam antiquis, ex quibus Baronius, Peireſcius aliique antiquitatem Miſſæ & veritatem probare voluere, inſerta ejus Opuſculorum ſacrorum Tomo I. p. 41. ſqq.

(aa) Intelligit duas primas philyras Tomi noni Commentariorum de Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, typis equidem exſcriptas, ſed plane deperditas, cum nihil præterea iſtius Tomi ob Lambecii mortem prodierit. Eas ego, mecum ab optimo Mæcenate deinde communicatas, Amoenitatum literariarum Tomo V. p. 97. ſqq. inſerui.

ſent, ut noni hujus Tomi telam vix exorſam deducere potuiſſet. Sed ita cum hominibus comparatum eſt, ut mors eximios ſæpe optimorum virorum conatus intervertat, egregiosque viros, relictis inutilibus terræ ponderibus, eripiat. Abſtulit quoque, ut audio, TOLNERUM veſtrum, virum & meliori & longiori vita utique digniſſimum. Obitus ejus magis deplorandus foret, ſi Haſſiacam Hiſtoriam, quod ex te côram intellexiſſe recordor, non abſolviſſet. Vereor autem, ne, quod Hennebergicæ JUNCKERI Hiſtoriæ aliis licet de cauſis evenit, mortuo auctore ad perpetuas tenebras & carceres, Principis puto Tabularium, damnetur, luce digniſſima. Rogo igitur, ut me edoceas, quid de illa ſperari poſſit, & quid de aliis iſtius viri collectaneis, quæ ab interitu omnino vindicanda eſſent, futurum ſit. Frater meus eximia aliquot Mſta e Celeb. CIAMPINI Bibliotheca redemit, atque Roma transmiſit, quæ inter eminent Codices duo Græci, unus quædam Gregorii Nazianzeni opuſcula, alter Evangelia & Acta Epiſtolasque Apoſtolorum complectens. d. 5. Nov. 1715.

XII.

D. LUD. CHRISTIANUS MIEGIUS. De Schedis TOLLNERI defuncti præ-

ter Historiam Hassiacam fere ad finem perductam pauca sunt, quæ publico prosint, nisi quod Monumentum quoddam Erchinoaldinum, seu Historiam de Ducibus Franciæ Orientalis, confecerit ex Actis Sanctorum, thesauro illo historiæ inexhausto, quæ haud parum lucis nostris oris & hujus regionis historiæ adfundere posset. Voluisset ea Cel. LUDOVICUS, Prof. Juris Halensis, secum communicari, sed schedas omnes soror Tollneri Francofurtum deferri curavit. Historiam vitæ illius, qui infelicibus (an & imprudentibus) literatis accenseri potest, concioni illius funebri adjungam. d. 15. Nov. 1715.

XIII.

D. LUD. CHRIST. MIEGIO.

Quæ de Tollnerianis exuviis narrasti, gratissima fuerunt. Bene utique ages, si vitæ curriculum funebri illius sermoni addideris, mihi autem rem facies gratissimam, si aliquo me exemplo donare volueris. De libris Roma receptis nuper dixi, nunc de tabulis duabus, quæ una venere, addam. Referunt illæ picturas, quas ex charactere Inscriptionum additarum Grajas existimaram, ast MAJUS meus Moscovitica adscripta indicavit. Utinam

vero

vero ſolvere quoque potuiſſet ! Sunt enim venerandæ antiquitatis tabulæ, quæ virorum doctorum de fide Græcorum diſquiſitionibus, nuperrime etiam ab HEINECCIO & aliis agitatis, multum lucis afferre poſſent. Una enim integram vitæ mortisque Chriſti hiſtoriam, altera matris Mariæ virginis aſcenſionem referre videtur. Tabulis hiſce adjungam alias picturas non minoris ſane momenti. Sunt enim delineationes manu factæ veterum muſivo opere monumentorum, adjectis Græcis Latinisque inſcriptionibus quam plurimis. Spicilegium ac ſupplementum eſt præſtantiſſimi operis, quod Cel. CIAMPINUS olim edidit (b), e cujus etiam bibliotheca Germanus meus unacum aliis redemit. Ante dictas tabulas in æs incidi forſan curabo, Catalogo meorum MSStorum inſerendas. Hujus equidem confectioni omnibus viribus inſudo, lente tamen procedit, cum plus negotii faceſſat, quam putaram. MAJUS Hebraicos Codices omnes abſolvit, jamque ad Græcos ſe accinget. Ego vero reliqua MSSta omnia exequar. Hiſtorica MSSta jam excuſſi, quæ ſola centum philyras conficient. Minime autem pœnitet laboris, quem non inutilem atque injucundum bo-

 narum

(bb) de monumentis antiquis Romanis operis muſivi.

narum litterarum cultoribus fore ſpero. Quid tu vero, Vir Magnifice, in præſens moliaris, ex te intelligere aveo. Novam eximiorum, quæ bibliotheca tua ſervat, monumentorum collectionem, cujus ſpem feciſti, quam avidiſſime expecto, animitusque precor, ut Numen benigniſſimum Te in Eccleſiæ Reique publicæ litterariæ emolumentum ſervet quam diutiſſime. d. 7. Dec. 1715.

XIV.

LEONH. CHRISTOPHORO STVRMIO
Mathematico Viadrino.

Ne circulos tuos turbare (c) & inanium verborum ambagibus graviora tua negotia impedire tibi videar, multas, cur haſce ad te litteras ſcribam, cauſas omitto.

(cc) Hæc epiſtola documento eſt, Mæcenatem noſtrum non eximii tantum theſauri ſui uſum quibusvis petentibus promiſſima mente conceſſiſſe, ſed ultro etiam ac nullis precibus compellatum nihil tale cogitantibus, quæ illorum ſtudiis inſervire, eorumque opera in publicam converti utilitatem poſſe cenſuit, liberali manu, exemplo ſane ad poſteros memorabili, obtuliſſe.

to. Neque igitur meum doctis viris innotescendi desiderium, neque quantam de te, Vir Celeberrime, egregiisque tuis operibus æstimationem animo semper tulerim, multis declarabo, sed re ipsa, quod mathematici, quorum tu nostri seculi hæreditario quasi jure princeps es, amant, demonstrabo. Nimirum cum aliquot abhinc annis aliqualem librorum apparatum mihi comparare omni studio cœperim, & quicquid ex mathematicis ad illum augendum ornandumque nancisci potui, minime neglexerim, duo inter alia in manus meas inciderunt opera manuscripta mathematica, de quibus ad te, non solum velut optimum horum judicem, sed patronum etiam ac liberalem ab interitu vindicem, perscribendum duxi. Primum enim præstantissima tua opera maximo cum splendore luci jam donatum est. Opus scilicet de Architectura Goldmannianum, a te ita elimatum ac ornatum, ut vere aureum dicendum, ac optandum sit, ut quamprimum illustratio tua integra accedat, & ex omnibus partibus perfectum fiat, & nova etiam editio, quam moliris, prodeat. Utinam aliquis litterarum fautor brevi sumtus præstet, & bibliopolarum nostrorum, propria sua culpa, ignorantia scilicet & insana in futiles quasvis opellas profusione egentium ac pereuntium, inopiam sublevet! Quam serio id optem,

 vel

vel exinde cognoſces , quod cum manuſcriptum, quod adeptus ſum, adjectas habeat delineationum ac figurarum, quibus tuum, quo uſus es , exemplum carebat, plagulas XXIX. id tibi ſignificandum putavi, ſi quidem illuſtri jam dum operi lucis quicquam fœnerari exinde poſſis. Rudiori quidem Minerva efficta, ſed cum ab illis, quas tu, Vir Celeberrime, ex ingenio ingenioſiſſime appoſuiſti , non parum differant, illas tecum quam lubentiſſime communicabo , ſi tibi non ingratum fore intellexero. Volumen hoc, quo præter manuſcriptum Goldmannianum PALLADII etiam architectura , GOLDMANNI tractatus de ſtylometris , & MOEGLINGII tractatus Mechanicus , quem ex Ubaldi ſcriptis conſarcinavit, continetur, ex præſtantiſſima NIZSCHII, Mathematum Profeſſoris Gieſſenſis clariſſimi, bibliotheca nactus ſum, quam cum meo potiſſimum conſilio, viliſſimo pretio , coëmerit unus ex bibliopolis noſtris, plurimorum ex illa participem me fore ſperabam, ſed ingratus bibliopolæ animus ſpem meam fefellit, & licet tantum pro tertia bibliothecæ parte obtulerim, quantum ille pro integra exſolverat, invidioſe poſtea tamen renuit. Sed ad alterum epiſtolæ momentum venio. Manuſcriptum ſcilicet viri laborioſiſſimi, noſtræ civitatis architecti, Wilhelmi DILICHII opus de re militari, cui *Kriegs-Schu-*

le

le five *Kriegs-Buch* titulum fecit. Id ab ipſo auctore in linguam Latinam verſum, emendatum & ex auctoribus veteribus, hiſtoricis, poetis ac poliorceticis inprimis, auctum aſſervo. Cujus viri ſcripta licet obſoleta multa habeant, tuo tamen arbitrio minime ſpernenda. Imo ab ipſis etiam Gallis, iniquis alias de exterorum meritis cenſoribus, probantur ac expetuntur. Quare ſi operæ pretium judicaveris, ac librarium ad editionem operis adornandam adducere potueris, facile id concedam. Nullam etiam remunerationem a bibliopola depoſco, niſi librum aliquem bibliothecæ meæ inſerendum, & ut nominis mei aliqua ſaltim mentio fiat, quo conſtet, me ex illa invidorum grege non eſſe, qui quæcunque corradunt, non ut publico rei litterariæ bono inſerviant, ſed ut ſitu, ſqualore ac pulvere abſcondant, vel blattis ac tineis concedant. A quibus cum te, Vir Humaniſſime, abhorrere egregia tua in rempublicam litterariam merita teſtentur, haud in malam partem interpretaberis, quod prolixioribus hiſce te compellaverim. Die XX. Febr. A. MDCCIX.

XV.

GEORGIO CONRADO SIEGLERO,
Principi Abbati Fuldenſi a Secretis
& Tabulario.

Tan-

Tanta, qua me excepisti, tua fuit benevolentia, quantam in peracto in Saxoniam itinere vix expertus sum. Ingrati igitur animi labem contraherem, nisi in patriam redux factus debitas tibi gratias persolverem. Ago igitur tibi quam maximas, quod indefesso studio, quæ observatione digna erant, monstrare haud gravatus fueris. Præ cæteris autem animum permulserunt, atque etiamnum delectant, quæ in musæo tuo cernere seu admirari potius licuit, venerandæ antiquitatis monumenta, ingentem puto vetustissimorum diplomatum cumulum, seu rectius thesaurum, quem a situ, pulvere, squalore & interitu, solerti manu liberasti. Gratulor certe non solum patriæ, quod gravissima maximique momenti monimenta ipsi vindicaveris, sed nostræ Germaniæ, universæque reipublicæ litterariæ, quæ illa, si annales Fuldenses, quos cum Magnificentissimo Vicario paras, tua opera exornabunt, avidissime excipiet, ac suspiciet. Felici omine in tuas manus inciderunt, qui ista non solum studiose asservare, & pro merito æstimare, sed in publici commodum transferre nosti. O quam multa intereunt incuria, quam multa licet eruta premuntur invidia, aut ignorantia parvi penduntur! Lectionis difficultas, linguarum depravatio, rerumque medii ævi obscuritas, & ingens, quod isto-

rum

rum ſeculorum barbaries affert, tædium, plurimos deterret. Quæ omnia tu ſingulari ſtudio ſummaque tua eruditione facile ſuperas. Caroli du FRESNE Gloſſarium, ſtupendi laboris & reconditæ eruditionis opus, multum te adjuvare poterit. Vocis BIVANGE, quam in quibusdam chartis offendebamus, explicationem, cum illud evolverem, ſtatim reperi. Spatium ſeu intervallum, ut noſtra erat conjectura, denotat, deſcenditque ex Theutonico BEVANGK, ſeu, ut hodie ſcribere conſuevimus, *Befang*, *Umfang*. Citat du CANGIUS ex Baldrici Chronico Cameracenſi chartam aliquam Ottonis Imp. de anno 983. in qua nemini in Bivangio alicujus Foreſti, niſi ab Epiſcopo venandi licentia conceditur. Hæc ex laudato Gloſſario juſſu tuo afferre volui. Plurima, quæ ad rem tuam faciunt, ſumma cum voluptate ex illo haurire poteris, ſi Bibliopola, cui demandaſti, id comparaverit. Ego certe habere illud nequivi, alias in aliquam pro iis, quibus me donaſti, remunerationem obtuliſſem. Hoc igitur opus, quod vides, boni conſulas. Cum de Sigillis agat, non ingratum id tibi fore confido, quod ea felicitate fruaris, ut maxima cum delectatione typos, quos HEINECCIUS produxit, cum Archetyporum, quæ tibi ſuppetit, copia conferre, variaque, quæ ad rem diplomaticam pertinent, addiſcere

poſſis

possis. Jucundissimum mihi erit, si tibi non displicuerit munusculum. Levius quidem est, quam ut tuo æquiparare velim, ast, si quid occurrat, quo tibi satisfacere potero, non omittam. De Buchonia, claris Fuldensibus & reliquis, cum temporis ac spatii angustia jam non permittat, propediem. d. IV. Julij. MDCCIX.

OBSERVATIO

de memorabilioribus, ab VFFENBACHIO Fuldæ A. MDCCIX. animadversis.

Hanc ex plenioribus nostris de vita b. VFFENBACHII commentariis decerptam heic exhibemus, occasionem nobis subministrante superiori epistola, in qua eximiam SIEGLERI humanitatem deprædicat, quo duce ex itinere Saxonico redux memorabiliora Fuldensia in transitu curiosis lustravit oculis. En igitur tibi illa, quæ ibi annotavimus.

D. XIX. Junii A. MDCCIX. celeri cursu Vachum, Georgii WICELII Lutheromastigis patriam, hinc Hunnenfeldum, ac inde Fuldam VFFENBACHIUS perrexit, & hic loci Georgium Conradum SIEGLERUM, Reverendissimo Principi a secretis & tabulario sanctiori, virum ætate ac li-

matis

matis moribus florentem, inviſit. Ex eo cum dolore didicit, neglecta jam a longo tempore Fuldæ, Muſarum olim habitaculo, jacere literarum ſtudia (dd), & potiſſima bibliothecæ, quondam inſtructiſſimæ (ee), cimelia intercidiſſe : conquirenda demum ipſi improbo labore e ſitu ac pulvere fuiſſe diplomata & documenta, ad ipſum cathedrale collegium ſpectantia, & ipſi BROUWERO ad condendos annales ſuos nulla monumenta authentica, ſed tantum Codicem apographum, eumque mendoſum, quorundam documentorum, quem Noſtro monſtrabat, præſto fuiſſe. Mitigarunt vero dolorem ex his querimoniis conceptum

(dd) De illo tempore ſermo eſt, quo VFFENBACHIUS Fuldæ diverſatus fuit. Mutata deinde pleraque eſſe in melius, novimus, ac vel SCHANNATI ſcripta teſtantur.

(ee) de veteri Fuldenſi Bibliotheca vid. Jo. LOMEJER. de Bibliothecis Cap. VII. p. 115. Collect. Madero-Schmidianæ. Franciſci MODII ævo fuit ea adhuc tota Europa celeberrima; hinc ille in itinere ſuo in ea per aliquot menſes antiquiſſimorum voluminum cauſa, quæ partim exſcripſit, partim cum excuſis exemplaribus contulit, ſubſtitit. vid. Melch. ADAMI Vitas Philoſophorum Germanorum. p. 427.

ptum trecenta circiter mensæ injacentia exquisita ac vetustissima diplomata, a SIEGLERO operose congesta, inter quæ varia erant Pipini, Caroli M. & sequentium Imperatorum. Ex iis præcipua videbantur Præceptum Pippini Regis de Monasterio Fuldensi S. Bonifacio concessum, sive confirmatio donationis a Carolomanno S. Bonifacio & Monasterio factæ, cujus in sigillo imago ejus & nonnihil inscriptionis adhuc cognosci potuit: Traditio Pippini de Tinvinga Anno Domini DCCLV. Nonnulla Caroli M. quorum titulus: Carolus Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum Patritius Romanus. HLudovici Pii Præceptum Abbati Radgario Fuldensi datum, quod nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate homines Monasterii Fuldensis ad publica judicia trahat & reliqua, & deinde de licentia eligendi Abbatem. Huic sigillum adhuc aderat illæsum, imagine ejus & inscriptione: XPE PROTEGE HLUDOVICUM, conspicuum. Ad quinque alia ejusdem Imperatoris in promtu erant, & multa cæterorum, e quibus inspiciendis sacrisque Imperatorum vultibus venerandis maximam voluptatem & aliquem simul sacri veluti horroris sensum percipiebat. Accidit hic ipsi idem fere, quod Merico quondam CASAUBONO, cum ecclesiæ Cantuariensis archiva ingressus, omnia, quæ aliquam anti-

antiquitatis speciem præferrent, avide perscrutaretur, seque ejus oculis ac manibus inter alia venerandæ vetustatis monumenta priscorum Saxonicorum Regum aliorumque principum virorum chirographa offerrent. Ita enim de se Vir ille doctissimus (ff): *Memini cum sacras illas membranas tangerem, religioso quodam horrore animum meum percelli solitum, quasi præsentes intuerer, qui monumentis illis loquebantur, quippe manibus ipsi suis illa quondam tractaverant, quæ nunc ego meis contingebam. Quale novitio alicui, pompa curialis infrequenti insolentique, Principis alicujus de splendidioribus & superbioribus aula, ubi, quæ spectantis præstinguant oculos tum alia fortasse plurima; tum vero ante omnia præsentis ipsius majestas principis, & solitus ille purpuratorum comitatus: tale mihi locus ille solebat esse, non minus sacer, nec minus spectabilis.*

Oculis etiam apud eundem Sieglerum usurpavit Noster quosdam Codices manu exaratos, v. g. duos membraneos, quorum in uno diversi generis diplomata & mandata, a Duce ac Senatu Veneto ad provinciarum suarum prætores missa, in altero Traditiones multæ Fuldenses continentur: duos item chartaceos, Chronica videlicet Latino sermone scripta, unum uni-

(ff) in Commentat. de IV. Linguis, Part. I. p. 130. sq. edit. Londin. 1650. in 8.

universale FratrisMartiniani ex ordine Prædicatorum, primarii Papæ Sacellani, ab ipso primo Pontifice Jesu Christo & ab Octaviano primo Augusto seu Imperatore usque ad Joannem XXI. Pontificem Romanum: alterum Erfurtense ab anno 508. ad annum usque 1493. ad quod sæpe TENZELIUS provocavit, auctorem anonymum Erfurtensem appellitans. Perspicacissimus autem SIEGLERUS sub Codicis calcem auctorem detexit, ubi hæc leguntur: *Nicolaus de STGHES diu Custos Erfurtensis atque Vestiarius, electus Prior in Hoenburgh & post Prior in Reinsdorf, sed per Abbatem Erfurtensem revocatus ibidem ut spero migravit. Hic ista collegit, obiit eodem anno* (nempe 1494. uti ex præcedentibus patet). Possedit idem bibliothecam non adeo quidem copiosam, sed selectam, ac variis præsertim libris in Italia excusis, quos vel ipse in itinere literario vel posthac Italorum amicorum ope congessit, multis item tabulis æneis ac delineationibus Raphaëlis Urbinatis aliorumque summorum artificum superbientem. Mirifice præsertim delectabat Nostrum recens opus incomparabile Caroli MARATI, Chalcographorum Romanorum facile principis, Pontificis Architecti & Equitis Romani, cujus in tabulis æneis divinum Polycharmi ingenium mirari licet.

Con-

Continet illud historias biblicas, in splendidis palatii Vaticani aulæis conspicuas, quas ævi sui Apelles, Raphaël Urbinas (gg) quondam delineavit. Eruditi quoque inter ipsos sermones cæsi de Q. SECTANI Satyris elegantissime quidem, sed perquam aculeate contextis,ac Romæ, licet frontispicium Amstelodamum mentiatur, A. MDCC. in forma quadruplici evulgatis, quas parum apud nos obvias, sed nunc meis etiam oculis subjectas, dono Vir humanissimus Nostro obtulit, eumque, præter alios maximæ famæ Jurisconsultum, Vincentium GRAVINAM,eximii operis de Originibus Juris civilis aliorumque scriptorum auctorem, tanquam ineptum doctrinæ ostentatorem hominemque insulsissimum, digito veluti designatum sub nomine modo Philodemi, modo Bionis, uti in Arcadum Academia vocabatur,

(gg) Hunc creditum esse narrat Alvarus Gomezius Lib. VII. de rebus gestis Card. Ximenii, Leonem X. cum unis comitiis, inusitato cooptationis numero, XXXI. Cardinales creasset, inter illos quoque nominaturum fuisse, ut hoc collato honore ingentem æris summam, quam illi ex pictura debebat, compensaret, sed Raphaelis mortem omnes ejus spes prævenisse.

batur, acriter perſtringi, ac aceto ſatyrico totum perfundi, edocuit (hh).

In monaſterio collegii cathedralis ſpectabat baſilicam, quæ tum ſingulari magnificentia exſtruebatur, & tres S. Bonifacii, uti vocantur, Codices (ii), in membranis ſcriptos,

(hh) vid. quæ de opere hoc, plane ad filum ſatyricorum inter veteres probatiſſimorum concinnato, docte diſſeruit dulce noſtrum decus, D. Chriſt. Aug. HEUMANNUS, in Schediaſmate de libris anonymis ac pſeudonymis, p. 47. ſqq. Satyræ illius aculeatiſſimæ auctorem fuiſſe Senenſem quendam, Cardinalis Petri Otthoboni a poculis, virum excellentis ingenii, ſed effrænis linguæ, Gregorius MAJANSIUS nos edocuit in vita Emmanuelis Martini, ejus Epiſtolis, Amſtel. 1738. in 4. editis, præfixa, p. 10. ubi etiam de MARTINI Satyromaſtige, ſive Notis criticis in Q. Sectani decem priores ſatyras, egit.

(ii) quorum notitiam hic ſubminiſtramus, qualem nobis in itineris ſui diario ſuggeſſit ὁ μακαρίτης. Sed conf. SCHANNATI Vindem. liter. Collect. 1. p. 217. ſqq. ubi hi Codices copioſe & curate deſcribuntur, eorumque ſpecimina æri inciſa exhibentur. Repetiit hanc recenſionem Vir Clar. in Dioeceſi & Hierar-

ſcriptos, ibique adſervatos. Primus admirandæ vetuſtatis in folio minori, latitudine pariter & craſſitudine palmari, meris literis uncialibus exaratus, complectitur Evangelium Lucæ, ex cæteris Evangeliſtis harmonice ſuppletum, quod excipiunt Acta Apoſtolorum & Epiſtolæ, quibus poſt eam, quam Paulus ad Coloſſenſes ſcripſit, inſerta etiam eſt, quæ ad Laodicenſes ab eodem ſcripta dicitur, unum tantum explens folium, & ſic incipiens: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem ſed per Jeſum Chriſtum Fratribus qui ſunt Laodiceæ. Gratia Vobis &c.* Obſervavit in hoc codice, diphthongum Æ ſemper ſic expreſſum eſſe AE. Alter in minoris folii forma continet Epiſtolam Papæ Leonis ad Flavianum, Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ac Diſputationem beati Cerialis Epiſcopi contra Maximianum Ariomanitam, Iſidorique Synonyma. Hunc vulgari ratione ſcriptum, a priori multum antiquitate ſuperari cenſuit. Tertius in forma plagularum duodecies complicatarum minutulo charactere ab ipſo Bonifacio exara-

 tus

rarchia Fuldenſi f. 65. ſqq. Utroque in opere quædam paulo aliter commemorantur, tertiique Codicis ſcriptor non *Cadung*, prouti VFFENBACHIUS legit, ſed *Vidrug* dicitur. add. Acta Erud. A. MDCCXXIV. p. 54. ſq.

tus esse ferebatur, juxta testimonium in calce literis aureis hunc in modum adpictum: *Hoc Evangelium S. Bonifacius martir Domini gloriosus, ut nobis seniorum relatione compertum est, propriis conscripsit manibus, quod etiam venerabilis Abbas Hugo obnixis precibus a Rege piissimo Arnolfo impetravit, & S. Fuldensi ecclesiæ honorabiliter restituit, cui Salvator JEsu Christe premia sempiterna pro devocione sua in celestibus redde, eumque nobis feliciter dominari tempora longa concede Anno Domini DCCCLXXIII.* Verum ipse doctissimus SIEGLERUS Nostrum de hujus asserti falsitate monuit, inque fine Codicis ac inferiore ultimæ paginæ parte monstravit illi hæc verba: *Dō* (i. e. Deo vel Domino) *gracias ago Cadung scribsit.* Bonifacius hoc codice quotidie usus esse, illumque in quodam prælio alicui, se gladio petenti, sui defendendi causa objecisse dicebatur, qui propterea totus perfossus ostenditur.

Monstrata tum varia sacra λείψανα: sed YFFENBACHIO multo jucundius fuisset, si bibliothecam, ingenti priscorum codicum vi instructam, quam Abbas RABANUS MAURUS, illustre quondam Germaniæ sydus (kk), hic condidit, & proximi ejus successores egregie locupletarunt, vel insignes

(kk) vid. ipsius poëma XVI. ad Gerhohum presbyterum, Tom. VI. operum, p. 207. edit. Colon. A. 1626.

ſignes ſaltim illius reliquias luſtrare potuiſſet: verum nihil plane iſtius ſupereſt. Quanto autem fervore in literarum ſtudiis monachi olim Fuldenſes verſati fuerint, nemo melius Chriſtophoro BROWERO ediſſeruit, cujus verba ex Antiquitatibus Fuldenſibus parum hodie obviis (ll) hic repetere operæ fortaſſis pretium fuerit. „Sedularum inſtar apum, opere nusquam „languido impigre in Fuldenſi ſua palæſtra „Aſcetæ deſudabant. Dictabant alii, vel „experimenti cauſa ſcriptitabant varios in „utriusque Teſtamenti paginam commen„tarios. Alii ſibi munus exponendi, in„terpretandique depoſcebant. Erant, qui „ex illis perpetuo virentibus tum ſcriptu„rarum tum ſanctorum hortis, tanquam „ſententiarum ſuaviſſimos flores colligе„rent. Erant etiam, qui collatione loco„rum librorumque faſtidium levarent le„gentium, ſimiliora veri eruerent, falſi „ſpeciem abolerent. Erant denique, qui „acumine diſſerendi, ſubtilitate definiendi, „partiendique & quodvis ambiguum ra„tione concludendi, philoſophandique „ſcientia paucis eo tempore concederent. „Neque in tanto numero eruditiſſimorum „defuiſſe exiſtimes, qui pro illius ſeculi „uſu poſſint non graviſſime & copioſiſſime „de quavis re apud Auditores ſuos dicere:

(ll) Lib. I. Cap. X. p. 45.

„Nam si Trithemio credimus, seculo Chri-
„sti VIII. in Fuldensi monasterio vixere
„supra ducentos septuaginta monachi, Viri
„religione eximii, &, ut ipse loquitur, pro
„magna parte in sacris Scripturis doctis-
„simi. Jam vero si cui prima sequenti vel
„natura vel ingenium, hæc artium ac di-
„vinarum rerum altiora fastigia negasset,
„huic in secundis tertiisve consistere, &
„locum inibi honestum occupare non dif-
„ficile erat. Adminicula igitur sufficie-
„bant hi primis; alii spargendis in mem-
„braneas paginas apicum & diversi generis
„characterum notis, alii nobilibus operi-
„bus involvendo vel claudendo codices;
„alii minio & rubrica, ut quodque in sen-
„tentiis aut capite versuum emineret,
„signando & enotando illustrabant. Non-
„nulli, quod temere conjectum in schedas,
„vel dictando elapsum, ad purum exscri-
„bendo mundabant, & ordine quæque
„suo venuste digerebant. Pictura quoque
„& multiplici colorum fuco & imaginum
„exprimendarum usu haud pauci Fuldæ
„excellentes Monachi floruere &c. Ta-
„ceo jam disciplinarum eos anfractus diffi-
„cilesque vias, quibus tenerior ætas ad
„sapientiam instituta, Grammaticæ, Mu-
„sices, Arithmeticæque elementa percurrit.
„Non faciam hic, quin ex editis olim Al-
„cuini Flacci versibus antiquariorum &
„amanuensium celebre Museum, quod

„Ma-

„Majores dixere Scriptorium, iterum de-
„prædicem. Locus iis Fuldæ fuit secessu
„& reticentiæ studio singularis, cui Flac-
„cus Magister hos inscripsit versiculos:

Hic sedeant sacræ scribentes famina legis,
Nec non sanctorum dicta sacrata Patrum.
Hic interserere caveant sua frivola verbis,
Frivola nec propter erret & ipsa manus;
Correctosque sibi quærant studiose libellos,
Tramite quo recto penna volantis eat.
Est labor egregius sacros jam scribere libros,
Nec mercede sua scriptor & ipse caret.

Hinc facile colligere licet, quanta ex isthac laudabili Ascetarum Fuldensium sedulitate Monasterii bibliotheca ceperit incrementa pariter ac ornamenta, cum præsertim in medio ævo undiquaque huc doctrinæ nobilioris cupidi certatim confluxerint. Abbas RABANUS MAURUS plerosque veteres scriptores tam profanos quam ecclesiasticos exquisito studio legit, quod loca ex iis frequenter ab ipso allegata satis abunde evincunt. Bibliothecam igitur ab eo conditam & amplificatam magna eorum copia superbiisse, quis quæso dubitet? Fuit insuper primus, qui Græcas literas feliciter in Germaniam invexit, imo non hujus tantum linguæ, sed Hebraicæ quoque & Chaldaicæ ultra sæculi illius indolem ex asse peritus neque

hiſtoriarum, ignarus (mm). Hujus ergo etiam commatis codicibus bibliothecam ab eo liberaliter inſtructam fuiſſe, nullæ ſunt nobis ambigendi cauſæ. Tanti, gemmisque ac auro pretioſioris theſauri jacturam merito deploravit Noſter, inque votis habuit, ut eadem, qua ſacra illa λείψανα in baſilica ſibi oſtenſa, ſollicitudine ab interitu vindicatus fuiſſet. Noſtro ævo Herbipoli bibliothecam jam diu deperditam, ſub ipſo templi auguſtiſſimi tecto conglomeratam, ac pulvere prope conſopitam, rara felicitate indagatoris, Chriſtoph. Franc. Lib. Bar. de HUTTEN, cathedralis eccleſiæ tunc temporis Decani, ad excelſam vero deinde A. 1724. Epiſcopi Herbipolenſis dignitatem merito ſuo evecti, fuiſſe detectam, atque ſic codices quosdam quantivis pretii vetuſtiſſimos, interque hos principem Theodoſianum ætatis remotiſſimæ, pulveri blattisque ereptos novimus (nn). Eandem ego fortunam illuſtri Monaſterio Fuldenſi optaverim, ſi forte inter belli tricennalis turbas præcipua bibliothecæ cimelia in abſcon-

(mm) vid. D. Jo. Franc. BUDDEI, præceptoris quondam mei, τῦ νῦν ἐν ἁγίοις, Diſſ. de vita ac doctrina HRabani Mauri, Part. I. §. XXIII. p. 68. ſqq.

(nn) conf. Acta Erudit. A. MDCCXXIV. p. 56.

ſconditum quendam locum fuerint repoſita. Iſthoc gaudio dignus fuiſſet tam SIEGLERUS, cui ſub auſpiciis modo laudati literarum Mæcenatis Hutteni ea obtigit Herbipoli felicitas (oo), quam Jo. Frid. SCHANNATUS, de Fuldenſi pariter ac omni hiſtoria præclare meritus, ac ſuperioribus annis haud ſine gravi civitatis eruditæ luctu denatus. Sed pedem jam cum VFFENBACHIO promovemus ad alia. Adiit is quoque eccleſiam S. Michaelis, ſub qua Sieglerus, optimus noſtri Achates, lumine accenſo eum in cryptam ſubterraneam deduxit, inſtar ſacelli concameratam, & ara ac circumcirca peranguſtis cellulis inſtructam, in quas ipſis per aditum exiguum introrependum fuit. Intus vix ſtandi ac ſeſe paululum movendi locus erat: Hanc olim cryptam inhabitaſſe dicebantur monachi, aggeſta undiquaque terra includi ſe paſſi, ut vix anguſtum foramen ſubminiſtrando cibo potuique patuerit. Inter eos olim per integrum decennium fuiſſe ajebant MARIANUM SCOTUM, cujus cellula Noſtro oſtenſa fuit, nec non Beatum EGIL, Abbatem quartum, & b. AMICATUM (pp) Monachum,

(oo) vid. Urſini Durandi & Edmundi Martenne *Voyage litteraire* Part. II. p. 176.

(pp) SCHANNATUS in Diœceſi & Hierar-

chum, quorum ſepulchra antehac ignota SIEGLERUS hic detexit. Obſtupuit VFFENBACHIUS harum rerum aſpectu, attonitoque ſimilis ſtetit, nec miſeriorem facile vivendi ſortem cogitatione ſibi fingere potuit, miratus pariter ac miſeratus, extitiſſe homines, qui tantopere in ſemet ipſos ſævierint, ac nullo divino præcepto excitati, ſua ſponte in tantas ſe ærumnas præcipitaverint. Locus eſt tenebricoſus, & quovis fere lumine caſſus: in quo, juxta illud Virgilianum, *Horror ubique*

rarchia Fuldenſi f. 127. ubi de Crypta Monaſterii S. Michaelis agit, inter cætera hæc habet: *Illic inter beatas in Chriſto quieſcentium umbras, beatus & ipſe Anuchadus, ſeu Amichadus, rectius vero Anamachadus, natione Scotus, annis pluribus incluſus delituiſſe, pia traditione perhibetur, quanquam eundem in Monaſterio Fuldenſi obiiſſe aſſerat Marianus Scotus ad annum MXLIII. quo a coæva manu literis minio interſtinctis, prælaudato Necrologio etiam inſcriptus eſt, in hunc modum:* III. KAL. FEB. ANAMACHADVS MO. ET CLVSINARIVS. Cluſinarii ergo dicebantur hujusmodi monachi, ſemetipſos quaſi vivos ſepelientes, quam vocem in Du FRESNE Gloſſario fruſtra quæſivi. *Clausner* alias, ni fallor, noſtro ſermone nuncupantur Eremitæ.

que animos ſimul ipſa ſilentia terrent. Attamen monachi illi quotidie hic ſacris operati, ſtatisque horis pſalmis canendis precibusque fundendis occupati fuiſſe ferebantur. Exiſtimavit VFFENBACHIUS, hujus notæ monachos olim nominatos eſſe *Incluſos* vel *Recluſos*, Græcisque ἐγκλέιςυς, ac in ſuo diario provocavit ad Caroli du FRESNE Gloſſarium mediæ & infimæ Latinitatis Tom. II. f. 39. edit. Francofurt. Verum hic auctor ſuos incluſos vel recluſos deſcribit tanquam monachos, qui aut prope vicos, vel cœnobia, aut etiam in ipſis monaſteriis, in ſingulares cellas, ex iis non exituri, vitæ ſolitariæ, quam alias conſequi non licebat, intuitu ſeſe concludebant, ut Deo ſibique vacarent. Nulla autem hic cryptarum vel cellarum ſubterranearum mentio. De monachis vero quibusdam Græco-Ruthenis Jo. HERBINIUS in libro de Cryptis Kijovienſibus p. 84. ſq. eadem fere refert, quæ Noſtro de priſcis Fuldenſis cryptæ incolis narrata fuere. En ejus verba: *Clauſi dicuntur monachi Græco-Rutheni, qui, nuncupato voto, ſeſe cellæ aut cubiculo ſubterraneo in crypta, religionis privatæ gratia, ita aggeſta undiquaque terra incluſere, ut vix foramen, ſubminiſtrandis cibo, potui, aliisque neceſſariis pateat. In qua cella cryptana religioſi viri pſalmis recitandis, precibusque ad Deum fundendis occupabantur: item jejuniis, vigiliis, aliisque negotiis, ipſorum condi-*

ditioni convenientibus corpora sua tum expiandorum peccatorum gratia, tum propter opus meriti (quem errorem cum pontificiis communem habent) emacerabant. Qui claustrales Ruthenorum monachi post obitum in eadem, quam vivi habitaverant, cella cryptana, mortui reponuntur. Verum ex hoc diverticulo in viam redeamus. Visitavit Vffenbachius Fuldæ etiam Collegium Societatis Jesu, Seminarium, ac Cœnobium Franciscanorum, cujus in cœnaculo hæc laqueari inscripta reperit Bonaventuræ verba: *Fratres peccata populi comedimus: væ nobis, si non oraverimus pro eis!* In ejusdem monasterii templo vidit sacellum, singulari ratione instar cryptoporticus ex variis lapidibus, conchis &c. extructum, quale nuspiam antehac observaverat.

Tandem vero Fulda die XXII. Junii valere jussa, altera die ex hoc excursu literario variis libris & calamo exaratis & impressis, nummis item, ac multarum rerum scientia locupletatus, sospesque ad penates suos felici sidere VFFENBACHIUS rediit.

XVI.

XVI.

D. IMMANVELI WEBERO, JCto Gieſſenſi.

Tardius, fateor, quam par erat, ad gratiſſimas Tuas reſpondeo. Aſt cauſam moræ ſi cognoveris, veniam mihi ultro pro ſingulari tua & humanitate & ſummo in bonos libros ſtudio dabis, confido. Illo enim ipſo die, quo tuæ mihi redditæ ſunt, e Belgio, o terque quaterque fauſtum diem! ingentem præſtantiſſimorum librorum ſarcinam acceperam. Coemerant illos mihi Wetſtenii Fratres Hagæ Comitis ex Bibliotheca Marckiana, quæ ſub haſta vendita fuit, cujusque Catalogum uberrimum ſine dubio vidiſti. Tanto ardentior perluſtrandi eos mea erat aviditas, quanto levior atque incertior ſpes erat, me tantam copiam ex illa adipiſci poſſe. Noveram hominem, illius Bibliothecæ collectorem, ac quanto cum fervore, ne dicam furore, ex omnibus terrarum oris præſtantiſſimam hanc librorum ſupellectilem corraſerit, ſolo ſuaſu ac nutu Celeb. GRÆVII, cujus Bibliothecarius dici merebatur. Nam cum hic librum deſideraret, illius nummis comparabatur, quantovis etiam pretio, adeo, ut dum homini, cæterum imperito, locupletiſſimam Bibliothecam ſtrueret, pluteosque auge-

ret, loculos ejus emungeret, demum utrique curta domi ſupellex, Marckio ex nimio libros coacervandi, Grævio autem illis utendi ſtudio, reique domeſticæ incuria fuerit. Mortuo igitur auſpice, Marckii fervor detumuit, conſiliumque ille Marci MEIBOMII ſequi, & Bibliothecam, vivo ſanoque adhuc corpore, publice vendere voluit. Aſt dum Catalogus prælo pene ſolutus eſſet, inſperata, ſed opima centum mille florenorum hæreditas obvenit. Perſtitit tamen in propoſito, forſan ne inutiles ſumtus in Catalogum feciſſe, conſiliumve ex penuria cepiſſe, hæreditatisque acceſſione iterum mutaſſe videretur. At ſuſpicabar, animum ipſi & librorum aviditatem ex lauto patrimonio creviſſe, illumque per ſubornatos quosdam licitatores pretium librorum in immenſum augere, ac ſimulata venditione ſolummodo experiri velle, quanti libri ejus conſtare poſſent. Attamen feſellit, quod lætor, me ſuſpicio, quod exinde cognoſces, quod præclariſſima Ordinis Benedictini Acta novem voluminibus ab eximio MABILLONIO edita pro 76. & LABBEI novam Bibliothecam MSStorum pro 18. florenis Hollandicis nactus ſim, cum Zunnerianæ officinæ hæredibus pro prioribus centum noſtræ monetæ paucos ante menſes obtulerim, ut de aliis taccam. Non ſine fraude tamen egit venditor, ut ex

Wet-

Wetſtenii literis ad me datis percepi. Ita enim ille : *Nous ne doutons pas, que vous ne ſeriez pas très-ſatisfait de notre Commiſſion ayant eu le dernier ſoin du monde pour vos interets. Il y avoit un très-grand nombre de mal conditionez, & plus de deux milles livres ſeulement couſuës, ou avec des vieux relieures, qu' il avoit mis dans ſon Catalogue, comme reliez en maroquin. De meſme il manquoit plus de deux milles livres des plus rares* (qq), *qu' ils n' avoit pas, & avoit mis dans ſon Catalogue, pour le faire éſtimer (il veut dire : pour attirer plus de marchands). Ainſi comme il n' a jamais eu beaucoup de reputation, il a perdu le reſte avec cette auction. Mr. le Baron de Hogendorp, Adjoutant du Prince Eugene, a pluſieurs fois dit publiquement, que c' eſtoit une fripponerie de faire un tel Catalogue, pour tromper les honnetes-gens.* Baro ab Hohendorf, cujus hic fit mentio, permultos pro Eugenio Principe, qui inter arma quoque Muſas deperit, libros emere, pretiumque licitando augere ſolet, quod ipſe, cum A. 1711. in Belgio plurimis venditionibus intereſſem, expertus ſum. Non ægre laturus es, ſpero, quod prolixius de iſthac Bibliotheca egerim, gaudio enim meo librisque, quos inde habeo, & ipſe frui poteris, nec injucundum tibi fore exiſtimavi, fraudes,

G qui-

(qq) Sibi illos ſervaſſe videtur Marckius in novæ Bibliothecæ veluti fundamentum.

quibus in talibus venditionibus utuntur, nosse. REUBERI (rr) desiderio plane flagro: unicus ille ex omnibus, præfiscine dico, talium collectoribus mihi deest. Optandum summopere, ut & Scriptores rarissimi ac pretiosissimi ab Andrea DU CHESNE editi ad prælum revocentur. Utinam & alii laudabili tuo exemplo excitarentur, ut præstantissima veterum opera in lucem retrahere potius, quam propria jejuna, vel certe maximam partem recocta, orbi litterario obtrudere mallent! Sed pia isthæc multorum desideria sunt. Curabo ego, ut Scriptores laudati DUCHESNE præsto sint, ut, quæ velis, describi possint. Quanquam enim ipsis, proh dolor! etiamnum destituor; quam multa enim sunt, quibus carendum! extant tamen in Bibliotheca nostra publica, & apud amicum quendam meum. No-

(rr) Ejus Scriptores rerum Germanicarum tum recudendos curare volebat WEBERUS. Quum vero res ex voto haud succederet, A. 1726. luci eos restituit Georgius Christianus JOANNIS. Sed pleraque hujus editionis exemplaria, vix prælo liberata, in incendio Francofurtano, eo ipso anno, in cineres infeliciter fuere redacta; atque adeo hæc etiam editio, sicuti prima, est longe rarissima. vid. Cel. VOGTII Catal. libr. rar. p. 577.

Notaveram & illa in Catalogo Marckiano, magnumque ipsis pretium statueram, sed multo majori, ut audio, venierunt. Fecit id confluxus hominum, hoc tempore in Belgio ob pacis negotium degentium. Plura tamen præstantissimi Viri opera alia possideo, quæ ut præsens inspicere posses, vellem. Forent procul dubio multa in CANISII Lectionibus antiquis, MATTHÆI Analectis, BALUZII Miscellaneis, LABBEI Bibliotheca, aliisque ejusmodi collectionibus, quæ studio tuo inservire utique possent. Fac sis igitur, ut, quam primum vacaverit, præsentia tua me exhilares. d. XIV. Febr. A. MDCCXIII.

Diu ego jam studiosissime, sed irrito conatu, quæro Catalogum Codicum Græcorum MSStorum Bibliothecæ Monacensis. Magnopere me tuæ humanitati devinctum redderes, si alicubi exemplar ejus venale mihi eruere posses.

Gratias tibi ago quam maximas pro transmissa eleganti de Societate Leonina Dissertatione. Summa cum voluptate perlegi illam, atque animadverti, capite II. de Flagellantium Societate mentionem a te fieri. Singularia multa de istis homuncionibus in MStis meis Francofurtensibus Collectaneis reperi. Mirum dictu est, quantas tragoedias in nostra civitate egerint. Sed de his coram plura.

OBSERVATIO

de Catalogo Codicum Græcorum MSStorum in Bibliotheca Electorali Bavarica.

Catalogum hunc inter rariores libros esse referendum, cum præter VFFENBACHIUM in superiori epistola, MORHOFIUM, aliosque ipsa testetur experientia, ejus notitiam hic subministrare operæ pretium existimavi, præsertim cum ejus supplementum nondum evulgatum mihi, beneficio Fautoris eximii, in promtu sit.

Exemplo præivit omnibus in laudabili hoc instituto AUGUSTA VINDELICORUM, Sueviæ nostræ ocellus, cui magno honori cedit, quod prima consilio cæteris imitando indicem Codicum Græcorum, in sua Bibliotheca extantium, anno jam 1575. in forma quadruplici luci exposuerit publicæ, hoc memorabili titulo insignitum: *Catalogus Græcorum librorum MSStorum Augustanæ Bibliothecæ: quem ea Resp. ideo edendum curavit, ut eos vel viris doctis interpretandos, vel diligentibus typographis conferendos, modo de iis sartis tectis suo tempore restituendis caveant, ad augenda rei literariæ commoda communicaret.* Hunc deinde quadruplo auctiorem, multoque præstantiorem, ergo-

ergodiocte Marco VELSERO, Mæcenate optimo, ex typographica ad insigne pinus officina A. 1595. in dias luminis auras emisit David HOESCHELIUS, hac liberali invitatione denuo præfixa: *Quisquis Reip. litterariæ faves, sive lector, sive typographus, horum omnium codicum, sive interpretandi, sive conferendi, sive edendi ita tibi futura copia est, si de iis incolumibus restituendis caveris.* Exemplo hoc insigni excitatus Jo. Georgius HERWARTUS ab Hohenburg, Bavariæ Cancellarius, Vir literis, dignitate ac meritis illustris, Catalogum Græcorum MSStorum Codicum, qui asservantur in inclyta Serenissimi utriusque Bavariæ Ducis Bibliotheca, A. MDCII. in 4. typis Adami Sartorii Ingolstadii publicandum curavit. Duodecim ille plagulis absolvitur. In aversa tituli pagina hæc epigraphe legitur:

QUISQUIS CATHOLICA FIDE
PRAEDITUS,
PRODESSE VOLES REIPUBLICAE
LITTERARIAE,
HOS M. S. CODICES
CONFERENDI, INTERPRETANDI
EDENDI COPIA TIBI ESTO,
SI DE IIS SINE NOXA RESTI
TUENDIS CAVERIS.

Ab hisce igitur sacris arcebantur tan-

quam profani, quicunque non singulis Romanæ ecclesiæ placitis suum adjiciebant calculum. Fecit tamen HERWARTI & Marci VELSERI, quos Duumviros Musæ inter numina sua tutelaria jure referunt, propensus in literas provehendas animus, ut immitis hæc regula subinde exceptionem admitteret. Sic v. g. Davides HOESCHELIUS ad editiones Librorum Origenis contra Celsum, Procopii Cæsariensis Historiæ, ac Athanasii Vitæ Antonii Eremitæ adornandas Codicibus Boicis feliciter usus est. Ita quoque Conradus RITTERSHUSIUS Isidori Pelusiotæ Epistolas ex Manuscripto Monacensi edidit, cujus vero copia aliter impetrari non poterat, quam sub mille florenorum cautione. Hanc, illo inscio, Marcus VELSERUS, mirando ad posteros exemplo, præstitit (ss). Elias etiam EHINGERUS, cum Quæstiones theol. & philos. Cæsarii, hiulcas antea, suæ integritati restituere, lucique publicæ exponere vellet, usum Codicis Boici, proxeneta Matthæo RADERO, hunc in finem facile impetravit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Qui Catalogo nostro præfatus est, hæc no-

(ss) vid. Christoph. ARNOLDI vitam Marci VELSERI, ejus Operibus, Norimbergæ A. 1682. in fol. junctim editis, præmissam. f. 59.

nobis ad ejus notitiam facientia suggerit: *Quod thesaurus iste in lucem proditus antiquitatis studiosis utilis esse incipit, id inprimis ipsi Serenissimo Principi, tum etiam Nobili & Magnifico Domino Joanni Georgio HERWARDO ab Hohenburg, Bavariæ Cancellario, viro eruditissimo., in acceptis referes. Cæterum etsi in ista Bibliotheca calamo exarati Codices Hebraici, Chaldaici, Arabici & Latini plurimi asservantur, attamen Græcorum duntaxat voluminum hac vice syllabum damus. In quo, quoad licuit, eum ordinem observavimus, ut primum locum sacræ scripturæ libri teneant: secundum, divinarum literarum Interpretes: tertium, Conciones & scripta Patrum: quartum, monumenta juridica, medica, philosophica: quintum, historica, philologica, & cætera de genere eodem ad amoeniores Musas spectantia. Quamvis ab hoc ordine aliquando discedendum fuit, vel quia Codices, cum index conficeretur, singulique nota certi numeri insignirentur, præsto non erant, vel quia (quod non raro factum) diversæ classis auctores in idem volumen conjecti sunt.* Ad commodiorem hujus Catalogi usum in calce adjectus est index auctorum & librorum alphabeticus.

Integer apparatus Codicibus Græcis, partim membraneis, partim chartaceis, constat duobus & sexaginta supra ducentos, quos inter ordinem ducunt I. Quatuor Evangelistæ, Codex membraneus in

4. II. Acta Apostolorum, Epistolæ Catholicæ, S. Pauli Epistolæ 14. Apocalypsis, Codex membr. in fol. Multa hic habentur Patrum Græcorum scripta, scilicet, præter varias eorum catenas, Cyrillorum Hierosol. & Alex. Jo. Chrysostomi, Theodoreti, Origenis, Basilii, Gregoriorum Nazianzeni & Nysseni, Jo. Damasceni, Isidori Pelusiotæ, Theophylacti, Procopii, Ephræmi Syri, Cæsarii, &c. Veterum auctorum heic præter alios extant Codices Thucydidis, Diodori Siculi, Polybii, Hippocratis, Aristophanis, Hesiodi, Homeri, Euripidis, Aristotelis, Theophrasti, Isocratis, Philostrati, Diogenis Laertii, Ptolemæi, Heliodori, Scriptorum tacticorum, Porphyrii, Juliani Cæs. Procopii Cæsariens. Photii, Dionis Chrysostomi, Plotini, Jamblichi, Maximi Tyrii. Catalogum hunc MONTFAUCONIUS Bibliothecæ Bibliothecarum MSStorum novæ Tom I. f. 587. sqq. inseruit, ita tamen, ut, cum in uno volumine sæpe plura vel unius vel variorum scripta exhibeantur, unum hic duntaxat vel alterum, non singula distincte & nominatim indicentur. Syllabum Codicum Græcorum, ad theologiam spectantium, hinc decerptum dedit Theophilus SPIZELIUS in Sacris Bibliothecarum illustrium arcanis retectis, p. 145. sqq. immerito a REIMMANNO in Catalogo Bibliothecæ theolog.

sy-

ſyſtematico-critico, Tom. I. p. 114. reprehenſus, quod a Codice CXXIX. usque ad finem ab ipſo Catalogo ita abierit, ut fere nihil ſit, in quo conveniant. Spizelii enim inſtitutum erat, non omnes Bibliothecæ Bavaricæ Codices Græcos, ſed eos tantum, qui ad diſciplinam ſanctiorem pertinent, enarrare: & hoc, annotatis ubique codicum numeris, egregie præſtitit.

Rariſſimi hujus Catalogi Auctarium, manu Matthæi RADERI ſcriptum, ac nondum evulgatum benevole mecum communicavit Vir Ampliſſimus atque Literatiſſimus, Felix OEFELIUS, Sereniſſ. Electoris Bavariæ Conſiliarius aulicus ac Bibliothecarius, cujus elegantem doctrinam politiſſimum Syntagma de Minerva ſapientiæ olim præſide, Lovanii a juvene in viridi vernantis ævi flore A. 1730. in 8. editum, luculenter teſtatur. Idem vir doctiſſimus certiorem me in literis humaniſſime ſcriptis reddidit, Bibliothecam Jo. Alberti WIDMANSTADII (tt) cum tota ejus ſupellectile orientali in theſaurum Electo-

G 5 ra-

(tt) Primum ea tranſiit ad Georgium Sigismundum SELDIUM, S. R. Imp. Vice-Cancellarium. vid. Joach. CAMERARII Epiſtolarum familiarium Tom. I. Lib. II. p. 113.

ralem Bavaricum jam olim immigraſſe. Ejus igitur beneficio acceptum fers, quem hic exhibeo, Indicem Græcorum Codicum MSStorum, qui in catalogo impreſſo deſiderantur.

CCLXIII. Ὀρνεοσοφικὸν, ſive de Cura & Educatione Accipitrum fol. chart.
CCLXIV. Vocabularium Græcolat. H. Schedelii.
Aliud Vocabular. in quo Græca Latinis literis ſcripta.
Index Vocabulorum Latinus.
Evangelia quædam, ac alia cum interpr. lat. f. ch.
CCLXV. Liber Heronis de Aciebus inſtruendis. f. ch.
CCLXVI. Polyæni Strategemata f. ch.
CCLXVII. Emanuelis Apologia contra Palatinum.
Procli Elementa Phyſica.
Officia Palatii Conſtantinopolitani.
Provinciale Conſtantinopolitanum.
Homeri Centones 4. ch.
CCLXIIX. Aelianus de Caſtrametatione. 4. ch.
CCLXIX. Epitome omnium ſynodorum tam hæreticarum, quam orthodoxarum usque ad octavam Photii. 4. chart.
CCLXX. Theodori Prodromi Expoſitio in difficilia quædam Damaſceni, & hymnos. 4. chart.

CCL-

CCLXXI. Curopalatæ de Officiis Palatii & Ecclesiæ Patriarchalis Constantinop. 4. ch.

CCLXXII. Χαρτοφύλακος Joannis Bulgariæ Synopsis de Mensuratione & divisione terræ. 4. ch.

CCLXXIII. Quæstiones quædam Philosophicæ Pselli Theologi. 8. ch.

CCLXXIV. Philosophia Georgii Pachymeri Diaconi fol. ch.

CCLXXV. Vetus Testamentum cum Commentariis fol. magn. Pergam.

CCLXXVI. Trimestris tertii Liber de Vitis SSrum. Martii, Aprilis, Maji fol. membr.

CCLXXVII. Orationes Demosthenis. f. ch.

Nic. Gregoræ in Somnia Synesii.

CCLXXVIII. Sapientia Siracidæ & parabolæ fol. ch.

CCLXXIX. Theodoreti Episcopi Cyri Ἐρανιστὴς ἢ πολύμορφος seu variæ Lectiones.

Ejusd. Tr. contra hæreses.

Epigrammata Græca cum Scholiis Christiani Constantinopolitani. fol. ch.

CCLXXX. D. Chrysostomi & Gregorii Nysseni Orationes aliquot, præsertim in Genesin. fol. ch.

CCLXXXI. Canones Apostolici & Sacrarum Synodorum Oecumenicarum. f. membr.

CCLXXXII. S. Basilii Homiliæ aliquot f. membr.

CCLXXXIII. Damascii Philosophi Scholia in Aphorismos Hippocratis. f. ch.

CCLXXXIV. D. Gregorii Archiep. Constantinopolitani Sermones. f. chart.

CC*LXXXV.* Theodosii de Fabrica mundi, ex Genesi & aliis historiis Collectio & Chronicon. fol. membr.

CC*LXXXVI.* Liber S. Damasceni Expositionum in Canones Octoteuchi.

Gregorii Archiep. Corinthi Expositio in eosd.

Explanatio de Sacris Iconib. & in Domin. I. Quadragesʃ.

Vita Pauli Themæi. Zonaræ Exegesis Canonum &c.

D. Athanasii ad Antiochum Quæstiones in loca difficilia Scripturæ. fol. ch.

CC*LXXXVII.* Thucydidis Historiæ Libri 7. f. ch.

CC*LXXXIIX.* S. Athanasii Disceptatio cum Macedoniano Pneumatomacho. Et Conciones aliquæ. ejusd. Dialogus inter Aetium Anomæum. 4. ch.

CCLXXXIX. D. Gregorii, Archiepiscopi Tauromeniæ, Homiliæ. 4. chart.

ccxc. Chronicon Manassis. 4. ch.

ccxci. Aristidis Orationes. 4. ch.

ccxcii. S. Athanasii Disputatio cum Ario in synodo Nicena. 4. ch.

ccxciii. Curopalatæ Lib. de Officiis Aulic. Impp. Constantinop. 4. ch.

ccxciv. Basilii Imp. Constant. Adhorta-

tio

tio ad filium Basilii Patricii Naumachiæ. 4. ch.

ccxcv. Compendium legum. 8. ch.

ccxcvi. Codicis Just. 14. Titt. priores. f. ch.

ccxcvii. Gregorii Nazianz. Sententiæ. 8. ch.

ccxciix. Nicolai Chalcocondylæ historia de Turcis. 4. chart.

XVII.

D. JO. GEORGIO SCHERZIO, JCto Argentoratensi.

Fratres mei Germani in illustri vestra Academia studiis operam dantes in omnibus ad me literis summam tuam humanitatem deprædicant. Debitum igitur, nec tibi grave officium me præstiturum existimavi, si, licet tibi ignotus, te compellarem, tibique maximas pro summa in fratres mihi charissimos benevolentia gratias agerem. Accedebat, imo instigabat, quod natu major solidam tuam & eruditionem & Bibliothecam tuam exquisitissimam collaudaret. Quid autem mihi optatius, quam doctis viris innotescere? quid jucundius illorum commercio, qui eodem dulcissimo in bonos libros studio, absit arrogantia dictis, mecum trahuntur? Do-

Docuit me experientia, quantum juvet utrumque, adeo, ut invita Minerva agant, seu agere mihi videantur, qui sibi solis sapere volunt, mutuasque in colligenda aliquali librorum supellectili operas detrectant, remque omnem nummis confici posse persuasum sibi habent. Pejus vero, imo pessimum hominum genus est, qui correpta cimelia abscondunt, & blattis ac tineis potius in escam & prædam relinquere malunt, quam probis viris concedere, atque ab his vicissim expectare, quibus suos loculos ac thesauros ornent & augeant. Alia, credo, & tibi & mihi mens est. Ego quidem in Anglia, Belgio, &c, quantum potui, hic etiam, undique conquisivi, quibus aliis inservire queam. Si quis liber egregius mihi obvenit, licet jam possiderem, studio ac consulto coemi, quod Catalogus eorum, per Fratrem tibi, si aves, mittendus, te docebit. Per amanuenses quoque Mstorum meorum copias fieri jubeo, ut in promtu sint, quæ amicis honestam permutationem non respuentibus offerre queam. Hæc præfiscine eumque in finem dicta sint, ut, si tua amicitia tuoque commercio me non indignum reputaveris, me ad quævis officia paratissimum scias. Do tibi fidem, me omnibus viribus allaboraturum, ne te unquam pœniteat, me in amicorum tuorum numerum recepisse. Si igitur me tanto honore ma-

ctan-

ꝺandum existimabis, sacræ amicitiæ tesseram per litteras dabis. d. 21. Mart. 1713.

OBSERVATIO

de
honesto commercio literario, idoneo bibliothecæ augendæ medio.

Mirum, hoc inter media erigendarum atque augendarum bibliothecarum nobiliorum a Morhofio (tt) silentio prætermissum esse, cum nihil facile magis idoneum atque necessarium sit ad apparatum aliquem insigniorem scriptorum rariorum instruendum, quam mutuum hoc τῶν φιλοβίβλων sibi invicem gratificandi studium, cujus in præmissis literis mentionem fecit VFFENBACHIUS, dexterrimus bibliothecæ & condendæ & amplificandæ artifex. Scilicet ultro citroque danda sunt ac accipienda a rei librariæ studiosis beneficia. Isthac igitur etiam ratione prospere locupletavit thesauri sui cimelia Mæcenas noster, aliis sua, quibus illi carebant, concedendo, ab iis vero vicissim quædam, ab se desiderata, nec ubivis facile

(tt) Polyhist. Liter. Lib. I. Cap. IV. p. 30. sqq.

cile obvia, recipiendo , quod honestum commercium literarium appellitare solebat. Sunt interdum libri quidam tam impressi, quam calamo exarati, adeo rari, ut quantovis pretio comparari nequeant, si præsertim dominos agnoscant tales, qui ipsimet hujusmodi cimeliorum studio tenentur. Ii vero, nisi plane sint bibliotaphi ac morosioris ingenii, facile tibi eorum copiam concedent, si illis vicissim rariora quædam describenda subministraveris. Honesta hac permutatione nihil sibi magis fuisse proficuum ad bibliothecam suam rarissimis scriptis locupletandam, agnovit VFFENBACHIUS, qui tantum profecto eorum apparatum adornare haud potuisset, nisi hoc potissimum consilio esset usus, quamvis Crœsi etiam divitias profundere valuisset. Reciproca hæc cimeliorum literariorum communicatio intercessit ipsi feliciter cum D. Raymundo KRAFFT de Delmensingen, Consule Ulmensi, Jo. Christophoro WOLFIO, Ludovico Christiano MIEGIO, Maturino Veissierio LA CROZE, Jacobo Friderico REIMMANNO, Henrico Wilhelmo MARSCHALCH, Theodoro HASÆO, Carolo Stephano JORDANO, Petro Friderico ARPE aliisque. Non defuere quoque viri humanissimi, qui ipsi e publicis bibliothecis describenda curarunt varia, alias haud facile ullo pretio parabilia, e qui-

quibus jam memoriæ ſuccurrunt Jacobus Chriſtophorus ISELIUS, Jo. Baptiſta OTTIUS, Petrus JÆNICHIUS, Michael LILIENTHALIUS, & Georgius Chriſtianus LEHMS, quos donis etiam ſubinde transmiſſis ad id officium ſibi præſtandum incitavit. Sic olim eccleſiæ Dunelmenſis præſul, Richardus a BURI, opes ſuas literarias cumulavit, de ſe ſcribens (uu). *Sincerus amor ſtudii Zelusque orthodoxæ fidei ad ædificationem eccleſiæ confirmandæ pepererunt in nobis ſollicitudinem hanc ſtupendam nummicolis, ut collectos codices undecunque venales neglectis ſumtibus emeremus, & qui venundari non debebant, transſcribi honeſtius faceremus.* Pariter maximus ille in toga ſagoque heros, MATTHIAS CORVINUS, Pannoniæ Rex, teſte Jo. Alexandro BRASSICANO (xx), quatuor inſignes librarios Florentiæ magnis aluit impendiis, quorum is unicus labor erat, ut omnes melioris notæ auctores & Græcos & Latinos, quos commodum ex Græcia habere non poterat, exſcriberent. Ita VFFENBACHIUS etiam ſemper unius

H al-

(uu) in Philobiblio cap. XVIII. p. 60. collect. Schmidianæ.

(xx) in epiſtola ad Chriſtophorum a Stadion, Præſulem Auguſtanum, Salviano Baſileæ A. 1530. edito præfixa, ac in modo laudata collectione de Bibliothecis recuſa p. 149.

alteriusque juvenis studiosi opera in describendis iis, quæ aliunde secum fuere communicata, usus est, quos sollicite ad diplomatum aliorumque manuscriptorum lectionem assuefecit, in singularibus vocum compendiis enucleandis adjuvit, illisque intricata ac lectu difficiliora explanavit. Alias enim certe tantam manuscriptorum vim haud coegisset, cum multa pretio acquiri nequeant.

XVIII.

D. JO. GEORGIVS SCHERZIVS.

Quodsi unquam læto lubentique animo ad literas a Fautoribus ad me datas rescripsi, nunquam certe lætiori id mente præstiti, quam nunc, quum responsum fidei tessera esse debet Viro, quem humanissima ipsius epistola omnes elegantias charitesque in pectore possidere certissime demonstrat. Sane totus lætitiis impleor, cum tam facilem viam mihi aperiri video ad favoris Tui usuram, quam eo perenniorem mihi fore spero, quo firmius uniri solent, qui communi bonarum literarum amore junguntur. Me quod attinet, en dextra fidesque! cum sanctissima sponsione, id semper mihi curæ cordique futurum, ut veri sincerique cultoris & amici

ci locum tuear. Cæterum id inprimis, Generosissime Domine, maximæ mihi est voluptati, quod cognoverim, præ aliis, quæ maximo cum successu colis, studiis te Antiquitatum Germanicarum cultum sectari. Nam & ipse ego omne, quod Justiniano surripere possum, tempus iisdem tribuo, cujus rei fidem facere potest par Glossariorum Linguæ Germanicæ, quorum magnitudo ad tres justos in folio Tomos excrevit. In eorum altero Vocabula cum explicatione LL. rituum &c. quorum usus ad Seculum XIII. usque frequentior fuit, collegi sub nomine Glossarii Francico-Theotisci; in altero vero recentiora, juridica imprimis & ad explicationem diplomatum, Instrumentorum publicorum &c. facientia recondidi. Quid præstiterim, vel saltem præstare voluerim hoc in studiorum genere, intra breve tempus Te docebit Sylloge mea Carminum Germanicorum medii ævi, quam, uti ex Catalogo instantium nundinarum vestrarum literati cognoscent, intra annum, nisi quid humanitus mihi acciderit, luce publica sum donaturus. Interim mei in hæc studia amoris pignus mitto levidense, quod hic subjunctum vides, specimen, ex supra dictis Glossariis excerptum, de quo quid sincere sentias, ut exponas, oro obsecroque. Pro oblato Bibliothecæ Tuæ instructissimæ Catalogo summas ago habeoque

grates, majores habiturus, si benigne, ceu recipis, curaveris, ut illum perlegere liceat; offerrem & meum, sed vereor, ne quis occlamet mihi: *Tu ululas Athenas.* Si Jupiter eadem aurei imbris copia sinum meum impraegnasset, qua Tuum, forte quaedam possiderem non spernenda; ea enim habendi nec occasio, nec desiderium defuit; sed

non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Si tamen vel hac vel ulla alia in re inservire potero, faciam ne ullo unquam tempore officium accuses meum. Vale, Generosissime Domine, & certus de meo in Te, Fratresque, Universitatis nostrae ornamenta, studio mihi favere perge. Argentorati d. XIV. April. MDCCXIII.

P. S. An in ulla unquam Bibliotheca occurrerunt nugis pleni quidem, sed mihi utiles futuri libri, quorum hi tituli: *Liber Visionum Danielis Prophetae. Ammonitiones, quas ei Angelus monstravit, Interpretationes seu somnia revelata ab Angelo misso a Deo?*

* * *

Dies, qua haec scribo, materiam mihi suppeditat, meae in antiquam Linguam Germanicam impensae opellae specimen acutissimo Tuo judicio submittendi. En illud!

illud! Quæritur inter Eruditos, quare hodierna lux appelletur (yy) *der Carfreytag?* Quidam, qui nil rectum putant, nisi quod Romam sapit, id vel deducunt a voce *Charitas*; quia hac die Christus moriens maximum charitatis, qua in humanum genus fertur, ediderit specimen; vel a *Carendo* id derivant, quia hoc potissimum tempore Christiani carne carere soleant. Alii ortum ejus referunt ad τὸ *keren*, quod majoribus nostris idem erat ac satisfacere, damnum resarcire, item pœnitere, pœnitentiam agere, vel quia hodie Salvator noster pro nobis justitiæ divinæ satisfecit, vel quia in Ecclesia antiqua paschale tempus usui S. Coenæ, adeoque antecedentes illud dies pœnitentiæ fuere destinati. Mihi verius videtur, hanc vocem natales debere τῷ *kar*, quod antiquis curam, præparationem, provisum denotasse videtur.

(yy) Confer cum his, quæ idem Vir laudatissimus erudite annotavit ad SCHILTERI Glossarium Teutonicum, sive tertium Tomum Thesauri Antiquitatum Teutonicarum Schilteriani, f. 165. & 344. sq. Adde, quæ de hoc nomine habet Vir in his literis princeps, Jo. Georgius WACHTERUS, summum Memmingæ meæ, communis patriæ, decus, in Glossario Germanico, opere immortali, Tom. I. fol. 245. sq.

Apud Gothos sane, in quorum lingua plurimum subsidii ad mysteria antiquæ nostræ linguæ eruenda superest, *Kar*, denotat curam; ita in ULPHILÆ versione dictum Joh. 10. 13. *Non est ei cura ovium* redditur: *ni KAR ist inu thize lambe.* conf. Matth. 27, 14. Marci 12. 14. ab hoc *Kar* descendit Teutonum *Karan*, cum affinibus, quæ apud KERONEM, OTFRIDUM, Auctorem versionis Librorum ISIDORI Hispal. ad Florentinam sororem, item TATIANI Harmoniæ Evangelicæ, WILLERAMUM &c. reperiuntur: sic apud Keronem, ut Glossæ a GOLDASTO editæ docent, est: *Karata*, præparavit. *Ke-Karater ist* præparata est. *Karawe sih*, paret se. *Karawenne ist*, parendum est. (lege: parandum est) *Karawenne sint*, præparanda sunt. *Karaw*, parit (lege: paret) In Willerami Paraphrasi Cantici Canticorum occurrit: *Gara*, parata. Dicitur enim cap. 6. p. 120. *Thiu selva Genatha is thir GARA*, Illa Gratia tibi parata est, ubi Merula in notis τὸ *Gara* reddit per τὸ prorsus, sed non adeo recte. In dicta Versione Isidori p. 259. legitur de Deo, pœnitentiæ tempus Adamo indulgente: *beit noh dhuo dher alusal dendeo dhazs ir sih auur dhurah hreuun mahti chigarawan zi chinisti*, expectat adhuc omnipotens, ut iterum se per pœnitentiam paratum faceret seu pararet ad veniam. Apud Otfridum in Evangel. l. 4. de Johanne Bapt. legitur:

Zi thiu thaz er GIGARAUUE
Thiu liuti wirdige
Selb Druhtine
Straza zi drettanne.
Ad hoc, ut præpararet i. e. faceret
Homines dignos
Ipsius Domini
Ad viam calcandam.

apud eundem III, 23, 124. invenies *simes Garawe*, simus parati. & V, 4, 54. *Gigarawi*, apparatus. & II, 16, 76. *Garawaz*, præparatus. & II, 21, 25. *Garalicho*, promte, parate. In Glossis LIPSII est *Garo*, paratus; quæ vox etiam occurrit in Ἐπινικίῳ Schilteriano §. 115. ubi dicitur:

Odar abur Hluduuig,	At vero Ludovicus
Kuning war salig,	Rex fuit felix. Prom-
GARO soser hio was	tus uti hic. i. e. in hoc
Swar so sesturst was.	prælio contra Romanos fuit, Graves quantum opus erat.

in Versione Tatiani c. 161. §. 5. Petrus jactans se paratum esse vel ad moriendum cum Christo, habetur: *thie thar mit thir GARO bin oda in karkari oda in tot zi faranne*, qui tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire. conf. PALTHENIUS in notis ad Tatian. p. 290. Reliquias harum vocum habemus in formula, qua dicimus: *die Speis ist gar*, cibus est paratus, ad edendum scil. in τῷ *Garkoch*, quod denotat co-

coquum, qui cibos jam ad edendum paratos habet: in τοῦ *Gerber*, quæ vox olim ſine dubio in genere hominem, qui aliquid ad uſum præparat, ſignificavit: Hodie autem opificibus, qui coria ſubigendo præparant, *den Lederbereitern* propria manſit. Ab eodem autem ſtipite deſcendere noſtrum *Karfreitag*, inde eſt manifeſtum, quia hodierna dies eadem illa eſt, quam Textus Bibliorum Lutheri Germ. *den Rüſttag*, Græci παρασκευὴν, Latina Eccleſia *Paraſceve* appellabat ἀπὸ τῦ παρασκευάζειν, quia (ut Papias explicat,) a Judæis, quae in Sabbato ſunt, eadem die præparantur. Scilicet præparabant ſe hac die Judæi ad feſtum Paſchatos, quod in proximum diem incidebat, digne celebrandum. Summo autem opere in hac ſententia me firmat Locus Verſionis Tatiani, ubi c. 198. §. 3. hæc leguntur: *was tho GAROTA fora Oſtrum ſama ſo ſehſta zit, intiquad thenze dein ſenu juwer Cuning* &c. Erat a Paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta, & dicit (Pilatus) Judæis: Ecce Rex veſter &c. *En Garotag* pro die Paraſceves ante Paſcha, i. e. pro hodierna luce. Quo etiam facit, quod in admodum antiqua Germ. Verſione Bibliorum ante Lutherum typis publicata, quam Univerſitatis noſtræ Bibliotheca poſſidet, in locis, ubi Lutheri verſio habet *Rüſttag*, ſemper occurrat vox *Kartag*. Sed hæc ſufficiant. Tu, ſi quid noviſti rectius iſtis, candidus imperti.

D. JO.

XIX.

D. JO. GEORGIO SCHERZIO.

Nulla mea culpa, nedum negligentia, quæ longiſſime a me abſit, factum eſt, quod ad dulciſſimas tuas ſero nimis reſponderam. Ut hujus te, Vir Humaniſſ. certiorem redderet, Germanum meum juſſi, nullusque dubito, quin præſtiterit, atque a Te pro ſingulari tua humanitate hujus moræ veniam mihi impetraverit. Cum vero nimia fuerit, eandem ea, qua par eſt, reverentia etiamnum deprecor. Impediverunt me primum, quos vetus adagium vocat, fures temporis, amici, Bibliothecam, curtam licet librorum ſupellectilem, ſingulis fere per nundinas diebus inviſentes. Sæpe cum indignatione fero, tot mihi horas, imo dies per hos perire. Aſt quid faciam? Invidus ac moroſus cum ne videri quidem velim, quilibet admittendus. Male me habet equidem, ignaros plerosque, & qui Muſas vix a limine ſalutarunt, mihi moleſtos eſſe; ſed, ſi vel unicus poſtea ſuccedit vir doctus, reique litterariæ peritus, tanta perfundor voluptate, ut perpeſſi tædii facile oblivilcar, doctisque colloquiis redditum mihi tempus videatur. Deinde moram fecit ingens librorum copia, a Bibliopolis Belgis ſub haſta emtorum, hiſceque nundinis allatorum,

quam auxit a fratre Argentorato transmissorum numerus. Horum omnium pretium persolvendum, antea vero omnes perlustrandi erant. Hæ sunt causæ moræ, quæ si æque graves justæque tibi, Vir Celeb. ac mihi videbuntur, est, quod gaudeam. Ne vero dubites, rogo, jucundissimas mihi fuisse litteras tuas, utpote styli elegantia, rerumque pondere insignes, affluentesque, &, quod primo loco dicendum erat, animi integritatis tuæque in me immerentem benevolentiæ testes. Eo quoque nomine acceptissimæ erant, quod me eximiorum laborum Tuorum certiorem reddere, egregioque Glossarii tui præstantissimi specimine donare volueris. In pectore sane gaudeo, Deum hisce nostris temporibus tot tantosque viros præstare, qui linguis, medio ævo usitatis, utilissimam operam impendant, & illas ab oblivione & interitu vindicent. Nescio, an monumentorum ac librorum penuria, an vero oscitantia negligentiaque nostra, vel etiam nimio, quo nostri seculi homines in Græcas Latinasque litteras feruntur, amore, an omnibus hisce, quod pene crediderim, factum sit, ut majorum nostrorum linguam, imo res omnes neglexerimus? Certe, si omnes linguæ suas habent Veneres, nec ista omnibus destituta erit deliciis. Tanto magis vero de linguæ nostræ cultu sollicitos nos esse oportuit,

quanto

quanto major nostrorum majorum, ut gentis bellicosæ, incuria in rebus suis memoriæ posteritatique mandandis fuit. Nam omni prorsus sensu careat necesse est, qui non videat, quantam omnino lucem hujus linguæ studium historiæ medii ævi, jurisprudentiæ nostræ Germanicæ, imo omni doctrinarum generi afferre possit. Si quod est in proverbio: *Ex ungue leonem*. Tu certe affundes plurimam, omnibusque, qui in his desudarunt, facile palmam præripies. Syllogen igitur tuam carminum, quam avidissime expecto, orbi litterario dabis non solum, sed & Glossaria, spero. Age, Vir Doctiss. macteque virtute ista Tua. Interim gaudeo, quod promtum facilemque typographum nactus sis. Hoc enim genus hominum præ inscitia morosissimum esse solet. Querebatur Dietericus a STADEN, senex integerrimus, dum ante aliquot abhinc annos Stadæ morabar, neminem esse, qui suis sumtibus OTFRIDUM suum typis exscribere vellet. Monstrabat mihi ingens volumen suarum emendationum, quibus & lapsus librariorum & FLACII ILLYRICI editoris correxerat. Deplorabam cum optimo sene, ingentes ejus curas inutiles fore, nec publicæ utilitati cedere. Quamquam enim, ut ingenue fatear, hisce sacris, quod occasio mihi omnis defuerit, initiatus non sum, omni tamen studio ejus argumenti libellos con-

quiro,

quiro, &c, si quæ nova hujus linguæ monumenta in lucem protrahuntur, lætor. Istis solummodo te adjuvare possem, faceremque lubentissime, nisi & his te satis instructum crederem: Est tamen mihi Glossarium ex Anglia allatum, quod tibi forsan non suppetit, tuis attamen studiis inservire posset. Nimirum Edw. LHUYD Archæologia Britannica, *giving some account additional to what ha been hitherto published of the Languages, histories and Customs of the original Inhabitans of great Britain &c. Oxford at the theatre* 1707. Fol. Vol. I. Glossograph. Quod sin minus cognitum fuerit opus, tibi disertius de illo perscribam, meumque exemplum, si vis, mutuum dabo, vel etiam, si mavis, ex Anglia tibi perferendum curabo. Nunc ad alterum tuum Glossarium venio, in quo, ut ipse scribis, recentiora, juridica inprimis, & ad explicationem diplomatum, instrumentorum publicorum, &c. facientia recondidisti. Dum de isto legi, summa lætitia perfusus sum, te, Vir Celeb. de eisdem una mecum sollicitum esse. Idem enim & mihi consilium aliquo abhinc tempore fuit, quod de me ipso compertum habuerim, aquam hic nobis hærere, eumque cribro haurire, vel ex pumice postulare, qui in BESOLDI, WHENERI, RUDIGERI, aliorumque quos vocant, thesauris, qui soli tamen harum rerum fontes habentur, sitim extin-

tinguere, desideriumque explere cupiunt. Quam pauca enim ad rem diplomaticam facientia in istis, imo sæpius carbones pro thesauro reperias! Oleum operamque minime perdituri sumus, si, quæcunque notatu digna in veteribus tabulis occurrant, diligenter studioseque annotemus. Utinam jam olim id mihi instituti fuisset, vel librorum meorum cura plus otii hisce impendendum concederet! Sed & in his me a te, Vir Doctiss. superari facile patiar, tuumque tibi apparatum minime invidebo, id unice rogans, ut me cum publico de illo gaudere facias, ne Tuus labor, nec spes nostra frustretur. Quod Schilterianis evenire conatibus metuo, & omnibus, qui sua nimis premunt, accidisse experientia docet. Finirem epistolam, nisi de libellis, de quibus imis in oris tuarum quæsivisti, aliquid addendum esset. Nec prohibet prolixitas ejus, quam tibi gravem fore minime credo, si Te ex me judicare liceat, cui, quo prolixiores, eo gratiores exstare solent litteræ.

Imo reddendæ tibi erant vices, moraque hoc modo compensanda. Sed ne nimium verbosus tibi videar, de libellis Danieli Prophetæ falso adscriptis (zz) dicam bre-

(zz) Est mihi ad manus libellus, Augustæ Vind.

brevibus. Apud varios scriptores de iisdem hujusve commatis aliis scriptis legere

Vind. A. 1517. in 4. typis Jo. Schœnspergeri hoc titulo excusus: *Von Ausslegung der Tröm, die der Prophet Daniel dem Grossmechtigisten Künige Nabuchodonosor gegeben hat.* Prodierunt Lipsiæ A. MD. in 4. Interpretationes somniorum Danielis ab Angelo misso a Deo, teste Mich. MAITTAIRE, Annalium typograph. Tom. I. p. 722. Inter orientalia Bibliothecæ Cæsar. Vindob. MSSta habetur Nota dierum male auspicatorum singulis mensibus, & Prognosticon singulorum annorum, a Daniele Propheta editum, vid. MONTFAUCONII Bibliothecam Bibliothecarum MSStorum novam, Tom. I. f. 534. Inter Græcos ejusdem thesauri Codices asservatur Danielis Prophetæ visio apocrypha. vid. l. c. f. 562. conf. REIMMANNI Bibliothecam Acroamat. p. 454. In Bibliotheca Bodlejana inter Codices Græcos MSS. Baroccianos habentur Danielis Visiones. vid. Catalog. libr. MSS. Angliæ & Hiberniæ, Tom I. Part. I. f. 19. Inter libros vero manu exaratos bibliothecæ Domus S. Petri Cantabrigiæ exstat Tractatus de interpretatione somniorum secundum Danielem Prophetam, vid. l. c. Part. II. f. 153. Adde, quæ de Apo-

re sæpe, sed ea ipsa perlustrare nunquam mihi contigerat. Opportune igitur Sandius Bibliopola cum aliis operibus, quæ ex nundinis Lipsiensibus attulit, reddidit Codicem Pseudepigraphum Veteris Testamenti a Jo. Alb. FABRICIO, Viro solertissimo, ac de republica litteraria optime merito, Hamburgi & Lipsiæ hoc ipso anno editum, in quo CCXL. hujus farinæ scripta congessit. In eo de Daniele sequentia reperiuntur No. CCXXIII. pag. 1124. Vita Danielis & Prophetia apocrypha Gr. & Lat. ex Chronico Paschali, adjectis etiam quibusdam ex Jo. MALALÆ Chronographia No. CCXXIV. p. 1130. Conjectorius Danielis, sive somniorum interpretatio sub Prophetæ illius nomine jactata ex Jo. Sarisberiensis Lib. II. Policratici de nugis curialium, annexo specimine ex simili libro lingua Gallica in Bibliotheca Regia Berolinensi extante, alioque specimine Conjectorii Danielis versibus Germanicis ex Paræneticis veteribus GOLDASTI &c. an vero ea ipsa sint, quæ tu desideras, nescio. In adjectis equidem Goldasti notis ipsorum, quos tu designasti, titulorum mentio fit, additque GOL-

Apocryphis Danielis Prophetæ ex Fabricio potissimum Georgius SERPILIUS in Biographia Danielis Prophetæ p. 129. attulit.

GOLDASTUS: *Videntur autem ex libro visionum esse, quæ hic proponit, & explanat.* TYROL: Versificator scilicet, cujus specimen Fabricius ex Goldasto præmiserat. Subjicit FABRICIUS ex aliis scriptoribus alia de scriptis, Danieli Prophetæ falso tributis, quæ omnia lectu tibi non injucunda erunt. Si Bibliopolæ vestrates codicem hunc nondum, quod minime existimo, receperunt, sique jubes, transmittam.

Restat ut adscribat littera nostra: VALE. d. 30. Apr. 1713.

XX.

D. JO. GEORGIVS SCHERZIVS.

Generosissimus Dominus Frater tuus nuper mihi obtulit schedam, qua aliquid continebatur eorum, quæ olim ad Mythologum Germ. Anonymum commentari cœpi, petens, tuo, Vir Illustris, nomine, ut etiam reliqua hujus opellæ ad te transmitterem. Uti autem meæ mihi imbecillitatis conscius, facile agnosco profiteorque, tricas illas apinasque non mereri, ut tempus illarum lectione perdas; ita tamen gaudeo, hac occasione me in integrum quasi restitui, & viam iterum mihi pandi ad usum amicitiæ tuæ, quæ eo carior bonis omnibus esse debet,

quo

quo major in te est literarum cultores juvandi & voluntas & facultas. Mitto igitur δῶρον hoc ἄδωρον, sed mutilum. Reliquorum enim nativitatem tum Typographi mors, tum mutatio mei vitæ generis sufflaminavere. Αντιδῶρυ autem loco consilium tuum duabus in rebus expeto. Primum quæro, an unquam videris vel MS. vel typis impressam OUVONIS Presbyteri Ravennatis Historiam, ex cujus libro VII. & VIII. de gestis inter Frid. Barbarossam, & Alexandr. III. quædam verba recitat RUPERTUS ad Besold. c. 18. p. m. 671. Ego nec volam nec vestigium hujus scripti invenire possum. Deinde pervelim scire, annon in instructissima tua bibliotheca lateat GEMMA GEMMARUM, vel Suollis per Petrum Os de Breda vel Coloniæ 1502. edita? Gemmæ hujus desiderio diu jam teneor; continet enim Juristarum Terminos metrice expositos, quod me docet TENZELIUS in Colloq. Menstr. A. 1691. p. 724. dubio procul autem hoc opusculum idem est cum illo, quod allegat GOLDASTUS in Rer. Alem. T. I. p. 134. dicens: *Venceslaus Brack in Terminis Juristarum:*

Arrestare, frenen, dic impheodare belehnen.

add. ibid. p. 175.

Quod si de hisce me docere non dubitabis, me nexu mancipioque tuum reddes. d. XX. Apr. 1716.

GOLDASTUS: *Videntur autem ex libro visionum esse, quæ hic proponit, & explanat TYROL:* Versificator scilicet, cujus specimen Fabricius ex Goldasto præmiserat. Subjicit FABRICIUS ex aliis scriptoribus alia de scriptis, Danieli Prophetæ falso tributis, quæ omnia lectu tibi non injucunda erunt. Si Bibliopolæ vestrates codicem hunc nondum, quod minime existimo, receperunt, sique jubes, transmittam.

Restat ut adscribat littera nostra: VALE. d. 30. Apr. 1713.

XX.

D. JO. GEORGIVS SCHERZIVS.

Generosissimus Dominus Frater tuus nuper mihi obtulit schedam, qua aliquid continebatur eorum, quæ olim ad Mythologum Germ. Anonymum commentari cœpi, petens tuo, Vir Illustris, nomine, ut etiam reliqua hujus opellæ ad te transmitterem. Uti autem meæ mihi imbecillitatis conscius, facile agnosco profiteorque, tricas illas apinasque non mereri, ut tempus illarum lectione perdas; ita tamen gaudeo, hac occasione me in integrum quasi restitui, & viam iterum mihi pandi ad usum amicitiæ tuæ, quæ eo carior bonis omnibus esse debet,

quo

quo major in te est literarum cultores juvandi & voluntas & facultas. Mitto igitur δῶρον hoc ἄδωρον, sed mutilum. Reliquorum enim nativitatem tum Typographi mors, tum mutatio mei vitæ generis sufflaminavere. Ἀντιδώρου autem loco consilium tuum duabus in rebus expeto. Primum quæro, an unquam videris vel MS. vel typis impressam OUVONIS Presbyteri Ravennatis Historiam, ex cujus libro VII. & VIII. de gestis inter Frid. Barbarossam, & Alexandr. III. quædam verba recitat RUPERTUS ad Besold. c. 18. p. m. 671. Ego nec volam nec vestigium hujus scripti invenire possum. Deinde pervelim scire, annon in instructissima tua bibliotheca lateat GEMMA GEMMARUM, vel Suollis per Petrum Os de Breda vel Coloniæ 1502. edita? Gemmæ hujus desiderio diu jam teneor; continet enim Juristarum Terminos metrice expositos, quod me docet TENZELIUS in Colloq. Menstr. A. 1691. p. 724. dubio procul autem hoc opusculum idem est cum illo, quod allegat GOLDASTUS in Rer. Alem. T. I. p. 134. dicens: *Venceslaus Brack in Terminis Juristarum:*

Arrestare, frenen, dic impheodare belehnen.
add. ibid. p. 175.

Quod si de hisce me docere non dubitabis, me nexu mancipioque tuum reddes. d. XX. Apr. 1716.

XXI.

D. JO. GE. SCHERZIO.

Magnas equidem tibi gratias ago, quod meis ac fratris precibus tam benevole annueris, ac Mythologi me vet. fragmentis, eruditissimis notis tuis illustratis, donaveris; ast multo majores utique habiturus ero, si & reliqua, quæ typis exscripta non sunt, exacte describi (a) curares. Miraberis procul dubio, & indigne etiam feres impudentiam meam, sed si, quantopere hisce delecter, &, quantum in me desiderium transmissis excitaveris, nosses, meo utique ardori facillime condonares. Sunt & mihi aliquot Codices vett. rythmici, unus membranaceus, Evangelia sistens, alius historiam B. Mariæ virginis & Jesu Christi fabulosam, ex Evangelio nativitatis Mariæ, Proto-Evangelio S. Jacobi, Evangelio Infantiæ & similibus conflatam, exhibens; alius fragmenta historiæ rythmicæ Wilhelmi Brabantici complectens; alius fabulam quandam, quam Romanensem vocare solent, continens, cujus titulus: *das Buch Tandaryos und seyt*

von

(a) Fecisse id virum humanissimum, elucet ex Bibliotheca MSta Uffenbachiana, Part. IV. col. 237. sqq. ubi satis copiosa hujus Mythologi notitia datur.

von Kunig Artus Hoffe &c. E quibus, quemcunque elegeris, fideliſſime deſcribi faciam per Amanuenſem meum, in hiſce ſatis exercitatum. Quam permutationem num rati habeas, nunciabis, ut mutuæ deſcriptionis initium quantocyus fieri queat. Nunc ad binas a te propoſitas quæſtiones venio, ad quas tamen neque ex tuo, neque ex meo voto reſpondere potero. OLIVONIS enim Ravennatis hiſtoria æque ac *Gemma Gemmarum* cimelia ſunt nunquam mihi viſa, nec multis cognita, cum in nullo Catalogo nec aliis libris eorundem mentionem invenire potuerim. Germanus meus inter alios libros ex Italia pereximios Catalogos Cardinalium ſcilicet BARBERINI, IMPERIALIS ac SLUSII tranſmiſit; in hiſce Ravennatem, utpote popularem, me reperturum certiſſime ſperabam, aſt fruſtra. *Gemma Gemmarum* nomine ac titulo quidem cognita, aſt, ut jam dixi, nunquam oculis uſurpata. Servat alias Bibliotheca mea tria Lexica ſeu Gloſſaria eximia. Primum membranaceum manu exaratum Latino-Germanicum, alterum JOH. JANUENSIS ſeu Genuenſis, ut ex voce *Janua* patet, *Catholicon*, itidem membranaceum, aſt typis exſcriptum Moguntiæ MCCCCLX. circa ipſa artis inventæ incunabula, adeo, ut a multis pro primo omnium libro, qui typis vulgatus ſit, licet perperam, habeatur; Tertium

denique *Vocabularius utriusque juris* dictum in vestra urbe Argentina editum MCCCCXC. Utinam vero vel tui causa & *Gemma Gemmarum* inter isthæc resplenderet. Dicere enim satis nequeo, quantopere te egregiaque studia tua juvare gestiam. Quare si quacunque alia occasione tibi inservire potero, ad omnia officia paratissimum utique deprehendes. d. 16. Maji. 1716.

XXII.

D. JO. GEORGIUS SCHERZIUS.

Quodsi moram meam accusas, imo & ingratitudinem, jure quidem Tuo agis; non desunt tamen excusandi rationes, quæ si crimen non diluunt plane, minuunt tamen. Elegantissimus enim, quo eruditum Orbem ornasti, me etiam pro singulari Tua benignitate liberalissime donasti, MSS. tuorum Catalogus Ulyssis fere fata habuit, & post moram satis longam demum die 10. Decembris in manus meas pervenit, ceu institoris rei vehiculariæ testimonium hic insertum docere potest. Ipsa quidem hæcce mora debuisset mihi incitamento esse, ut eo promtior ad gratias Tibi agendas me accingerem; verum adversa valetudo, quæ me fatali quasi torpore irretierat, ulteriores moras nectere coegit. Nunc demum

mum ergo meliori ſorti redditus Tibi me ſiſto, & tum veniam oro, tum gratias ago ſummas, quod non tantum inſigni hoc theſauro me beare, ſed etiam honorificam, quam plane non merui, in eodem opere mei mentionem facere volueris. Cæterum polliceor, me non tantum grata ſemper mente beneficium hocce agniturum, ſed & omnem moturum eſſe lapidem, ut ἀντιδώρῳ quodam munificentiam Tuam redhoſtiam. Miror autem, in ſtupendo illo Tuorum MSS. theſauro non reperiri Speculum Suevicum; ego hac in re faventiorem expertus ſum fortunam. Nuper enim Speculum hoc eleganter & quidem Seculo XIV. ſcriptum vili pretio comparare mihi datum fuit. Contuli illud cum Codice hic Argentinæ A. 1505. a Matthia Hupfuff impreſſo, & deprehendi in multis MS. meum ab eo differre, plurima autem, quæ ibidem, & in BURGERMEISTERI nupera editione peſſime ſe habent, ſincere recteque exhibere. Quodſi hoc MSC. inſpicere, vel etiam exemplum ejus habere volupe eſt, id lubentiſſimus ad Te transmittam. d. XVII. Jan. Anni MDCCXXI.

XXIII.

D. JO. GEORGIO SCHERZIO.

Non ſine voluptate intellexi, MSStorum meorum Catalogum tibi haud diſplicuiſſe, majorem vero creabit, ſi nonnulla in eo animadvertas, quæ & egregia ſtudia tua & publicum juvare commodum poſſint. Neceſſe autem minime eſt, ut de antidoro ſis ſollicitus, vel ſpeculi, quod vocant, Suevici exemplum pares. Illud enim leve, quod a me accepiſti, munuſculum haud exigit, hoc vero non amplius egere mihi videor, poſtquam benignior fortuna elegantem ac vetuſtum ejusdem operis deſideratiſſimi Codicem (b) nuperrime obtulit, qui alterum Catalogi tomum vel potius prioris ſupplementum exornabit. Cum tamen rhythmis veteribus Germanicis impenſe me delectari ſcias, rem utique faceres gratiſſimam, ſi ex inſtructiſſimo harum deliciarum apparatu tuo unum alterumve volumen ad breve temporis ſpatium concedere velles, quæ, ſi hiſtorici forent argumenti, eo acceptiora forent. Ego certe quæcunque commodaveris, bona, ut decet, fide reſtituam, faciamque, ut beneficium minime

(b) vid. Bibliothecæ Vffenbachianæ Vniverſalis Tom. III. p. 540.

me ingrato te præstitisse cognoscas, adeo, ut quæcunque ex curta quidem, si talia spectes cimelia, supellectili mea desideraveris, lubentissime sim oblaturus. d. 25. Jan. 1721.

XXIV.

D. JO. GEORGIUS SCHERZIUS.

Certiorem me nuper reddidisti, quod lubenti animo legas illos potissimum ex Rhythmopoeis Germanis, qui historici argumenti aliquid versibus suis exponunt. Felicissimum me judicassem, si quid tale Tibi communicare licuisset; ast fatendum est, nihil hujus in scriniis meis reperiri. Ne tamen plane petito Tuo desim, en mitto ῥυθμοποιὸν, qui veram quidem Historiam non tradit, exhibet tamen, ceu Romanæ Fabulæ faciunt, narrationem ad imaginem veræ Historiæ compositam. Πρόσωπον ejus primarium est Tristanes Ruwelini (qui Parmeniæ Rex fuisse dicitur) filius, cujus fata & secunda & adversa, additis regulis, ad mores facientibus, prolixe exponuntur. Unde etiam hoc opus nomine Historiæ de Tristane insignire soleo. Multis quidem id scatet nugis, interdum tamen in hoc stercore (sit venia dicto) aliquid auri sese offert. Vocabula Gallica,

quæ quibusdam in locis occurrunt, mihi persuadent, translatum esse hunc librum ex lingua Gallorum, quorum ingenia olim Romanarum Fabularum fuere feracissima. De Historia Equitis Ponti, quæ alteri, soluta quidem oratione, subjuncta est, nihil addo.

Speculum Suevicum MSC. insignis Tuæ Bibliothecæ partem esse factum, ex animo lætor. Utinam vero a Te, Vir Illustris, petere liceret, ut per Mercatores nostros ex nundinis vestris reduces benigne ejus copiam ad aliquod tempus mihi faceres (c). Postquam enim cum exemplari, quod olim hic Hupfussius impressit, meum MSC. de verbo ad verbum contuli, maximasque in-

(c) Facile annuit votis VFFENBACHIUS, ad literas juvandas natus, lubensque codicis sui usum SCHERZIO, dexterrimo antiquitatum Germanicarum Statori, concessit; quod apparet ex ejus præfatione, Juri provinciali Alemannico, alias sub nomine Speculi Suevici comprehenso, quod insignem partem II. Tomi Schilteriani Antiquitatum Teutonicarum Thesauri constituit, præmissa, f. V. ubi hunc Codicem multa singularia tum circa verba textus, tum circa partitionem in articulos & rubricas habere memoratur.

Inveni discrepantias, alia etiam Manuscripta conferre ardeo, ut saltem hac ratione Speculi hujus facies nitidior reddatur. Hujus gratiæ usuram, si, quod commodo Tuo fieri possit, indulgebis, summopere Tibi me devincies. prid. Kal. Maj. MDCCXXI.

XXV.

JO. HENRICVS MAJVS FIL.

Permitte, Vir Illustris, aditum ad Tuam benignitatem ignobili equidem ac obscuro homini, sed Tui tamen nominis admiratori dudum atque cultori. Ex quo enim ab ingenio, eruditione, industria, Tuam Generositatem nosse coepi, dici non potest, quam reverenter Te Tuasque dotes suspexerim; de qua mea in Te pietate malo loquantur alii, ne in os Te laudare videar. Jam illustri in loco posita humanitas, & propensa in me voluntas, indicibus Dn. Jo. Christiano LANGIO, quem & collegii & necessitudinis jure amplector, ac nuper demum ZANGIO vestro, nostroque, declarata, eam animo affudit lætitiam, aliquali tamen, quod condonabis, audaciæ junctam, ut in ejus amicitiam penetrare decreverim, quem a me non alienum esse didiceram. Enim vero quales

Tibi exſolvam gratias , non modo communem facienti mecum elegantiſſimæ bibliothecæ catalogum , quid catalogum ? immo vel minimam copioſiſſimæ ſupellectilis partem, ſed & facultatem concedenti ſeligendi, quæ placuerint. Fruor nunc, ut vides, libertate, quam benevolentiæ Tuæ debeo, etiamque rogo, velis notatos in adpoſita ſchedula libros illi tradere, qui pretium eorundem perſolvet. Quæ ego volumina vel eo nomine in deliciis habebo, quia gratiæ Tuæ monumentum præbent, quam & poſthac ſervari mihi integram majorem abs Te in modum contendo. Gieſsæ. a. d. IV. Iduum Maii. M D CC XIII. Addidi ineptiarum mearum aliquid, hiſce nundinis evulgatum , quod ut pro Tua humanitate benigne ſuſcipias , vehementer rogo.

XXVI.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Speraveram equidem exoptaveramque plures ex illuſtri veſtra academia ordineque viros ſpectatiſſimos præteritis nundinis huc tranſituros , mihique datum iri occaſionem eos propius cognoſcendi , quos ex præſtantiſſimis ſcriptis jam dum novi, ſemperque veneratus fui , (inter quos cum primo loco Te , Vir Celeberrime , ſemper poſuerim, Tui deſiderio maxime flagrabam) ſed fefellit ſpes expectationem meam. Nemi-

minem enim præter Virum optimum, Dominum Imman. WEBERUM vestrum, imo nunc meum, videre licuit. Leniverunt tamen acceptissimæ litteræ Tuæ desiderium meum, eo nomine mihi gratiores, quod amicitiam Tuam, quæ in votis mihi erat, ultro offerrent. Efflagitassem eam, nisi prius Tibi innotescere maluissem, metuissemque, ne me ea indignum forsan judicasses. Fecit Domini LANGII Tibi mihique charissimi autoritas, pro quo maximas ipsi habeo gratias, ut aliqua mei apud Te sit existimatio. Spondeo Tibi, Vir Humanissime, me omnibus viribus allaboraturum, ut illa me dignum reddam, nec eam abijciendi occasionem Tibi præbeam. Sed malo, ut id experiundo cognoscas, factis potius, quam verbis. Pro transmisso Observationum Tuarum elegantissimarum munere gratias Tibi dignas ago; quomodo referam nescio. Aliqualis antidori loco dedissem Stephani Morini Dissertationes octo, nisi vererer, Te jamjam illis instructum esse. Rogo Te igitur, ut me certiorem reddas. Libri, quos nuper ad Te perferendos tradidi, Glossarium a LABBÆO editum si excipias, exigui sunt, fateor, sed erunt, quod spero, alia, quæ Tuis usibus in posterum commodare potero, si emtionis vel permutationis jure concedere nequeam. Clarissimus RHENFERDIUS, Vir in Orientalibus ex-

exercitatissimus, nuper obiit, mei amantissimus. Cum igitur, quæ omnia solvit, nostram quoque paucos ante annos, cum Franequeræ aliquandiu morarer, contractam amicitiam, qua perfrui, proh dolor! parum licuit, disciderit, dulce aliquod doloris levamen credidi, si ex Bibliotheca ejus, quæ sub hasta more in Belgio usitatissimo vendita fuit, plusculos in optimi Viri memoriam libros mihi coemendos curarem. Catalogum, cum multa Tuo palato arridentia contineat, Tibi mittendum duxi, quod duplex ejus mihi exemplum a Bibliopola Amstelod. allatum sit. Codices manuscriptos, si non omnes, plurimos tamen habebo, si fortuna volet, statutumque a me pretium sufficere potuerit. Quo plura nactus fuero, eo impensius lætabor, quod Tibi iisdem inservire queam. Extant jam jam in Bibliotheca mea Codices aliquot Hebraici manuscripti elegantissimi, sed vellem, ut me de eorum præstantia, vel cujusnam sint momenti, optimus horum judex edocere possis. Plures enim a Judæo Apella, scabie & lucri contagio correpto, sub fide silentii (quod stipulata manu homini nequam promittere debui,) habere potero. Sed, fateor inscitiam meam, ne carbones pro thesauro venditet mihi, in metu fuit. Rem igitur facies gratissimam, si me quantocyus Tua, Vir Doctissime, præsentia ex-

exhilarabis, meque de his certiorem reddes. V. Kal. Apr. 1713.

XXVII.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Ego vero, quanto me gaudio elegantissimæ litteræ Tuæ, nil nisi amorem spirantes, perfuderint, verbis exprimere nequeo. Jam Tibi arctius devinxisti illum, qui & ingenii amœnitatem Tui, & doctrinæ gloriam, summæ humanitati junctam, prorsus adoravit. Atque huic ipsi tribuo urbanitati, quod tam egregie de me sentias; amoris certe quadam abundantia facis. Novi meo me pede metiri, & quam longissime remotus sim ab ea laude, quam Tua Generositas in me conferre studet, indies addiscere. Quid multis? elementa doceo linguarum, tracto puerilia, profanus verborum sum auceps, umbrarum veterum venator, syllabarum piscator, h. e. Ludimoderator orientalis, a quo balbutire quidam, alii vix articulate loqui discunt. Vides, Vir Consultissime, quam ignobilem cum abjecto homine contraxeris amicitiam, parum Tibi profuturam. Invitas me ad lustrandos scriptos manu codices Ebræos; lubens obedirem, si dignum me ea provincia censerem. Faciam nihilomi-

minus, quod imperas, & quamprimum otii aliquid a laboribus publicis nactus fuero, ad Te veniam; quamvis non usque adeo necessarium me amplius fore arbitrer, posteaquam & libros jam Tibi comparasti, & a Parente meo, quinam qualesve sint, indicatum. Sciscitaris ex me, num Stephani MORINI Dissertationibus octo sim instructus; quas quidem ad manus mihi non esse, Te ita jubente significo; neque tamen illis Te privare gestio. Satis est, Vir Generosissime, Tua frui amicitia, quam solam, si mihi servaveris, & Morino & pluribus aliis carere possum. Accepi tandem per Parentem meum libros, quos Tua benignitas mihi concessit; at Glossarium LABBÆI in illorum numero non fuisse, adhuc doleo, quod nescio quæ Harpyjarum surripuit, priusquam aliquid ad Te litterarum dederam. Tuo in ære iterum me esse profiteor, ob transmissum catalogum Rhenferdianum, elegantem, locupletem, varium, & tam insigni Philologo dignum. Et tibi gratulabor & mihi, si in Tuas pervenerint manus Codices ex illa bibliotheca manuscripti. A Patre meo audivi, GOLII Lexicon Arabicum Tuam supellectilem librorum abundantissimam ornare, ipsius Golii calamo ubivis auctum, quod ad meos usus, per aliquot duntaxat septimanas, ad describendum, (Tua tamen bona cum venia) quæ margini adjecta sunt, peterem, nisi

nisi tam venerabilem, & exoptandum codicem Domino DANZIO destinatum esse, simul intellexissem. Per me igitur vir doctus fruatur illo thesauro, quem utinam aut communem cum aliis facere vellet, aut ipse orbi litterato donare! Verum, neutrum sperare me jubet Viri Summi indoles, probe jam nota. Habeo quosdam libros vel superfluos, vel mihi non aeque ac aliis utiles, quorum catalogum proxime conficiam, ad Te mittendum, unde petes, quaecunque volueris. Nihil invenies rari, pretiosi nihil; decent magistrum libri paedagogici & scholastici. Jamblichus mirifice me delectat; jam sum Pythagorae assiduus itineris comes, & non negligens in philosophia auditor. Auget pretium libri, quod a Te profectus, ex Tua bibliotheca eruperit, quod ejus prae se ferat insignia, atque ornamenta, quae sic obversantur animo meo, plane ut Tecum vivere, in Tuaque bibliotheca versari mihi videar. Habeo Tibi gratiam, etiamque referam, si potero, quod scriptorem elegantissimum, cujus semper fui perquam cupidus, mihi non invideris. a. d. XVI. Kal. Jul. 1713.

XXVIII.

XXVIII.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Dum dulcissimas Tuas legere occiperem, subrisi, ingeniumque Tuum miratus sum. Certe quantum Tibimetipsi per jocum detraxisti, tantum amori , & meæ de Te sententiæ accessit. Te non verba solum, sed in verbis, omnis sapientiæ involucris, & ubique altiora sectari, & mihi & universo orbi litterario egregiis Tuis scriptis eximie demonstrasti. Perge modo, tales delicias aucupari, augur Tibi sum , Te & famæ Tuæ & Reipublicæ litterariæ consulturum. Gaudeo hisce nostris temporibus Philologiæ studium utilissimum florere, &, Te quoque viro Doctissimo symbolam conferente , ad tantum fastigium provehi. Non incassum abit labor , sed egregiis hisce adminiculis sacra profanaque mysteria panduntur, ut invita plane Minerva quævis doctrinarum genera sine illa tractentur, quadretque huc Plautinum illud : *Qui nucleum esse vult, frangat nucem.* En Tibi Morini libellum, de quo nuper scripsi. Addidissem & GOLII Lexicon, nisi vererer fidem datam fallere. Obtuli illud per Schlosserum, studiorum gratia in Saxoniam commeantem, Clarissimo DANZIO, ea lege , ut manuscripto quodam codice commutet. Standum erat promissis,

ſis, ipſique aſſervandum, uſque dum reſponderet, ne tergiverſatum me eſſe conqueri merito poſſit. Aſt utinam prius optimo Parenti Tuo aut Tibi innotuiſſet, quam ſcripſerim ad illum. Lubentius enim Tibi ad edendum conceſſiſſem. Parum enim liberalis Viri, cæterum doctiſſimi, animus conſtat, qui non ea, qua par erat, induſtria ac promtitudine, nec eis, quibus pollet, ingenii eruditionisque dotibus, nec quoque inſtructiſſimæ bibliothecæ theſauris publicum adjuvare ſtudet, ſibi ſoli ſapiens ac vivens. Quodſi igitur non eximium quendam Codicem offerat mihi, malo, ut Tuis auſpiciis in publicum prodeat, pluriumque potius, quam unius ſaltim ſtudiis inſerviat. Nihil enim mihi antiquius, quam publicum commodum promovere. Catalogum, quem Tuorum Te conficere ſcribis, avide expecto, pro transmiſſo vero Othoniano gratias Tibi ago, majores habiturus, ſi, quod benevole polliceris, amici ope, in adjecta ſchedula notatos, quantum pro ſtatuto a me pretio haberi poterit, coemendos cures. Animadverti, plures libros jam fuiſſe prænotatos, ſin a Te, illos haud deſidero, id unicum rogans, ut aliquam ſaltem Anthologiæ Græcorum Epigrammatum editionem concedas. Dono enim ante aliquot dies data mihi Excerpta ex Anthologia, quæ in Bibliotheca Celeberrimi Iſaaci

VOSSII exſtitit, doctiſſimi cujusdam Sueci manu olim deſcripta, quæ cum editis conferre cuperem, an ſint inter hæc forſan inedita, vel vulgatis emendatiora. Si quid enim iſtorum fortuna ſuggerit, deſiderio flagro videndi, cujusnam ſint momenti, ut tunc demum de illis plene gaudere poſſim. Nunc in Hieronymi Codice cum pretioſiſſima Monachorum Ordinis S. Mauri editione conferendo deſudo, jamque egregias, & bene multas lectiones ex Codice meo, ſeculo decimo aut undecimo ſcripto, ſumma cum voluptate excerpſi, idem ex Auguſtini de Civitate Dei, aliisque meis Codicibus veteribus facturus. De Othoniano Catalogo adhuc monendum, me illum pace Tua Argentoratum ad Germanum meum miſiſſe, quo de Mathematicis inſtrumentis, quibus maxime delectatur, diſpiciat, an inter illa quædam uſui ipſi eſſe poſſint. Convenit enim inter nos, ut ſtudia noſtra omni modo invicem juvemus. Sed neſcio, annon omnibus vel potiſſimis, quæ in Catalogo producuntur, jamjam inſtructus ſit. Collegit enim non ſpernendam eorum farraginem una cum inſigni tabularum ænearum atque rerum arte factarum copia. Nunc *accipe quo ſemper finitur Epiſtola verbo* VALE. VIII. Idus Junii MDCCXIII.

XXIX.

XXIX.

JO. HENR. MAJO FIL.

Quando in manus meas incidunt quædam, in primis mihi curis esse solet, ut dispiciam, cujusnam sint momenti, an anecdota vel saltem vulgatis meliora? Promiserat nuper Inlustris ad Imperialis, quam vocant, Cameræ Visitationem Legatus Lib. Baro a GERSTORFF, cum Bibliothecam meam perlustrare dignaretur, se illam Codice Philostrati de vita Apollonii Tyanæi in membranis scripto adornare atque augere velle. Jam in sinu gaudebam, sed postquam a liberalitate ejus acceperam libellum, minuit gaudium ocularis inspectio, lectioque epistolæ, quam Philippus BEROALDUS præfixit. Utraque enim non calamo, sed typis exaratum docebant. Hæc quidem disertis his verbis: *Libros hosce Philostrati nuperrime recognitos tradidi Benedicto excussori elegantissimo formis excudendos invulgandosque &c.* Fefellit igitur acutos alias inlustris Viri oculos typorum, membranarumque elegantia, & quod nec liminaris (ut BEROALDUS in sequentibus loqui amat) pagina, nec ultima, quod in antiquis libris assolet, neque typographi, neque loci nomen gestet. Hæc non ideo scribo, quod munus intus & extus splendidissimum (nam nitidissimo corio Turcico

compactum est , argentoque fulget) detrectem, sed ut exemplum Tibi proponam, quæ timidiorem in meis æstimandis me faciant. Rogo Te igitur, Vir Celeb. etiam atque etiam, ut de Codicibus meis Hebræis me edoceas. ipsis Nonis Aug. 1713.

XXX.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Mathematica instrumenta Othoniana æstimantur quinquaginta, Dorsteniana vero (quorum consignationem exspecto) quingentis florenis. Quare, si quid ex illis arriserit, modo seorsim distrahantur, quod non puto, ut me certiorem reddere velis, vehementer rogo. Epigrammata a LUBINO adornata, jam pridem sunt evulgata; continent primum Florilegii librum Græci, ex versione Lubini, nec plura. Non igitur exspectationi Tuæ satisfaciet liber vulgaris & rejectitius, & quem jam, (modo versionem excipias) possides totum. Quodsi tamen inspicere libuerit, mittam, ubi jusseris. Jam ad VOSSII Epigrammata (d) quod

(d) De Codice hoc anthologico vid. Bibliothecam Uffenbachianam manuscriptam, Par-

quod attinet, ſcias velim, ea nondum eſſe edita, quod partim ex iis, quæ Cl. FABRICIVS in ſua bibliotheca de variis editionibus Florilegii docet, partim, & inprimis ex his, quæ COLOMESIUS de iisdem refert, coniicio. Hic enim in *Recueil des particularitez* pag. 331. edit. a laudato Dn. Fabricio adornatæ, recenſens varios Bibliothecæ Voſſianæ Codices manuſcriptos Græcos, iſta narrat: *un recueil d'Epigrammes Grecques qui ne ſont pas dans l'Anthologie, copié par Gruterus ſur un MS. de la Bibliotheque Palatine, dont il eſtoit Garde.* Idem Colomeſius in Catalogo manuſcriptorum Iſaaci Voſſii pag. 860. num. 162. hæc habet: *Anthologia Græca hactenus inedita, a Fr. Sylburgio elegantiſſime deſcripta, e Codice Bibliothecæ Palatinæ, quæ poſtea Vaticanam auxit.* Viden', Vir Generoſiſſime, quanti theſauri poſſeſſor ſis factus; talis utique, quo & Pala-

Partem II. a Jo. Henr. MAJO fil. adornatam, col. 573. ſq. Varia ex illo epigrammata antehac inedita laudatus Majus in lucem protulit in Obſervat. ſacr. Libr. IV. p. 1. 55. 120. 147. 189. Aliam deinde VFFENBACHIUS nactus quoque eſt manu exaratam epigrammatum Græcorum, maximam partem ineditorum, collectionem, ex eaque l. c. col. 574. ſqq. copioſe deſcripta haud pauca ſpecimina publici juris fecit.

Palatina & Vaticana superbierunt bibliothecæ. Componere invicem nequeo, quare priore in loco illam Anthologiam (sive nunc integra sit aliqua, quod non videtur, sed ejus duntaxat pars) a GRUTERO, at in posteriore a SYLBURGIO descriptam commemorarit Anglicanæ Ecclesiæ Presbyter. Ad me quod attinet, huic potius, quam illi, istam gloriam deferre voluerim, utpote quum GRUTERUM in excutiendis Romanorum magis, quam Græcorum scriptis desudasse constet. Sed hoc quid ad me? Raram Philostrati vitam Apollonii Tyanæi, sine notatione loci editam, Te consecutum impense gratulor. Quæ de viri Illustris errore significasti, in memoriam vocant, BEROALDI compluria opuscula sine die pariter & consule evulgata in forma librorum quarta me heic apud cognatorum quempiam conspexisse, elegantissimis typis excusa, facile oculos minus accurate perlustrantium decepturis. Ceterum lubenti animo in me suscipiam negotium evolvendi codices Tuos Ebræos, bonaque fide & auctores, & quid tractent, quantum potero, significabo. Illud volumen scriptum manu, quod Sandio Te tradidisse indicas, nondum obtinui; nec continere me possum nimia gaudii ubertate. Te igitur amo, Vir Generosissime, quod hanc mihi gratiam facere, locumque petitis meis dare volueris,

ris, communem faciendo aliquem ex oceano Tuo librario librum, quem tam reverenter tractabo, ac si Te præsentem revereri liceret. Nil habeo, quod Tibi vicissim offeram; nosti paupertatem meam & virium defectum. Studio tamen & officio atque industria compensare annitar, quod reliquis deest. At quid GOLIUS? Tune adhuc illum adservas, vel alius quispiam? Ignosces rusticitati meæ, qua toties Tibi molestus, immo vere odiosus sum. Quare pluribus tædium posthac non creabo. Unicum addo. Si forte Dn. DANZIUS aut nimium tardaverit, aut ἀντίδωρον dederit, vel dare voluerit minus condignum; habeo quosdam Arabicos manuscriptos libros, quorum geminum est exemplum, quos Golii vice offerre non dubitaverim; habeo & amuleta quædam Arabica, & id genus ineptiarum nonnulla alia, quæ cum Lexico illo permutare vellem, si velles. III. Id. Aug. 1713.

XXXI.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Conceptis nunc equidem verbis, postquam libros tua cura, amicaque tua opera Marpurgi coemtos recepi, gratias tibi persolverem, nisi meum tibi animum plane

constare mihi persuaderem, mallemque re ipsa & facere potius, quam verbis gratitudinem ipsius probare. Scias autem, Vir amantissime, perplacuisse libros. Inprimis autem acceptissima fuere Biblia vulgari lingua Ebraica Amstelodami MDCLXIX. typis expressa, ob malam, quam in istis Judæi prodidere fidem, contra multorum assertiones de summa scilicet, qua sacras Scripturas semper tractaverint, atque etiamnum tractent, reverentia atque religione. Nefaria sane corruptio est loci Esa. VII, 14. ubi pro verbo *Alma* seu virginis substituerunt viraginis seu uxoris juvenculæ, *Junge Frau*, pro *Iungfrau*, ut alia taceam, ne vere mihi objiciatur illud: *Noctuas Athenas.* Quod vero mireris, est, quod Poloniæ Rex Johannes III. privilegio non solum muniverit, sed Christiani etiam homines, Amstelodamensis urbis incolæ, sumtus subministraverint, quo in religionis christianæ ignominiam ac detrimentum in lucem prodirent. Monitum de VOSSII Epigrammatibus grata mente agnosco, auget summopere gaudium meum, quod ob illorum copiam mihi factam conceperam. Quid enim gratius mihi esse possit, quam cimelium Palatinæ quondam eheu! primo extitisse, nunc Vaticanæ, atque etiamnum anecdoton esse. GOLII Lexicon quod attinet, in nuperis meis ad optimum Dn. Parentem, quem salvere jubeo,

beo, mentem meam explicui. Haud grave tibi sit rogo, tantillum temporis expectare; gratis illud habebis postea, modo publico usui reddendi conditionem non spreveris. Quodsi vero Arabicos, de quibus scribis, libros manuscriptos, & amuleta æquo pretio, vel pro aliis, quos designabis, libris a me comparandis concedere velles, insigne præstares, Vir humaniss. officium. Omni enim modo manuscriptorum meorum apparatum augere studeo atque ornare. Hoc tu quoque insigniter præstas, dum quod ex ultimis tuis intellexi, Ebraicos meos evolvere illustrareque non dedignaris. Quod studium tuum omnibus, qui imposterum hosce meos codices inspicient, dignis encomiis deprædicabo. Ast utinam & ego studia tua quodammodo juvare possem! Id vero tibi persuadeas velim, Te beneficia homini minime ingrato conferre. Excusabis quoque impudentiam meam, si te rogavero, ut notas tuas margini potius Codicum, quam schedulis inscribere malis. Hæ enim perire, vel transponi ac permutari, a me vero, Ebraicarum litterarum rudi, non facile describi, vel oris librorum apponi poterunt. Tandem fratris, meique ipsius nomine gratias tibi debeo, quod instrumentorum Mathematicorum Dorstenianorum Indicem procuraveris. Licet enim tantum sit pretium, ut pœniten-

tiæ metus emtorem quemvis deterreat, Tu tamen, quantum in Te fuit, præstitisti. Habeant sibi hæredes, si emtorem nullum specioso atque citra necessitatem in plurimos articulos seu numeros dissecto Catalogo allicere possint. Antlia enim pnevmatica una cum suis annexis seu partibus plurimos numeros constituit, quæ cum MUSCHENBROCKII, Mechanici illius Leidensis, ut ex Belgicis, quibus describitur, verbis conjicio, sit, quanti veneat, in vulgus notum. Sed nolo tibi, justis licet, de iniquitate possessorum querelis molestus esse, cum, quæ tuarum erant partium, viriliter, seu potius amiciter egeris, meque ære tuo iterum obstrinxeris. d. XXII. Aug. 1713.

XXXII.

JO. HENRICVS MAJVS FIL.

Arabicos, quos promisi libros, æquissimo a me habebis pretio, id est, nullo, quamvis GOLIO potiri nequeam, nec Tu illum alteri concedere; satis enim mihi erit, Tuum possidere favorem, quicquid interea de Golio fiat. Jam & secundum codicem Ebræum manuscriptum perlustravi, hui! quanta cum confusione exaratum. Vere chaos est, rudis & indigesta moles. Multi

in

in unum volumen conflati libri, ab eadem ſcribæ manu, ita tamen, ut difficillimum ſit, vel finem alicujus, vel initium quærere. Quantum igitur in tanta foliorum perturbatione & miſera totius codicis trajectione licuit, feci. Adſecutus ſum librorum mentem, auctores tamen nondum reperi. At de his paulo fuſius, quando ad Te Codices tuos ſum remiſſurus, id quod proximis fiet nundinis. Quin & morem geſſi mandatis tuis, margini Codicis adſcribens, quæ notanda videbantur, ſic ut, præmiſſa unica tantum ſcheda, totius libri indolem expoſuerim, ſpecialioribus animadverſionibus in ſuum locum conjectis. Habes hic ſecundam Obſervationum mearum ſacrarum partem, quam ut eo animo, quo priorem, non uti librum te dignum, ſed meæ erga te pietatis monumentum, accipias, etiam atque etiam rogo. Ad extremum, maximas ago gratias pro commentatione de lingua Carchedonia (e), quam, etſi jam ante legerim, poſ-

(e) Digitum haud dubie intendit MAJUS in Georg. Henrici SAPPUHNII commentationem philologicam, qua linguæ Carchedonicæ reliquiæ, ab Ac. Plauto Act. V. Sc. I. & II. Pœnul. adſervatæ, explicantur, & ad dialectum Aramæam referuntur. Lipſ. 1713. 8. Honorificum de

possederimque, vel eo tamen nomine adservabo, quia a te mihi donata est. Non possum, quin meam tibi de illo scripto aperiam mentem. Referri debet ad ea, quæ orbem litteratum non tam juvant, quam onerant; me sane tædio adfecit, simulac vel unicam legeram paginam. Bonus homo vix intelligit, quid sit vetus lingua Punica, ubi ejus occurrant reliquiæ, num in orbe adhuc sit, quantus fuerit illius ambitus, de quibus tamen omnibus & scribit, & loquitur. Multi nempe, quo plus balbutiunt, plus garriunt. Ego tempus aliquod excitandæ e ruderibus linguæ Carthaginiensi, nec, ut arbitror, sine fructu, impendi, cujus forsan participes reddam propediem complures. Recordor, RHENFERDIUM edidisse Peri-

de ipso tulit judicium Clar. Chr. Frid. WILISCHIUS in Indice Bibliothecæ Gymnasii Altenburgensis p. 62. his verbis expressum: *Hujus felicissimum ingenium a condiscipulatu mihi jamjam innotuit. Multa enim jam promittebat, cum Misenæ regiis sumtibus mecum aleretur, indolemque, poeseos inprimis studiis maxime idoneam, admodum adolescens adhuc ostendebat.* Eruditam vocat hanc Sappuhnii commentationem I. Alb. FABRICIUS in Bibliothecæ Latinæ Vol. II. p. 8. Recensionem ejus vid. in Supplement. Act. Erud. Tom. V. p. 421.

Periculum Punicum, nondum a me visum, quanquam diu quæsitum, quia magno illud mihi adjumento futurum semper judicavi, qui beati viri, quæ scripsit, omnia in deliciis habeo. Quare, si votum meum, Vir summe, adimplere poteris, fac, quæso, & ad Tua in me promerita id unicum adde. Joh. Alb. FABRICII, communis nostri amici, Bibliothecam antiquariam heri nocturno tempore, inter divinæ herbæ fumos, volvi. Spirat liber consuetum Auctoris oleum, sed, quod tibi in aurem dico, plus nocebit, quam proderit, non sua quidem culpa, sed legentium abusu. Quum enim de libris antea nonnisi multo tempore exercitati homines verba facere, de scriptoribus cujuscunque generis, & materiis non ubivis obviis disserere, libros etiam conscribere, & alios incitare ad cognoscendam probe discendamque rem litterariam potuerint, utpote quibus lecta fuerant, quæ huc pertinent, fere omnia: nunc & pastores, & ludimoderatores, ne quid dicam de semiasinis, hoc est, negligentibus bonarum litterarum Studiosis, ubique Scriptores, antiquitates, monumenta veterum & recentiorum Stentorea voce clamabunt, atque, ubi aliquid scribendum, ad hic indicatos Auctores recurrent, unde fiet, ut ex nonagesimo libro conficiatur centesimus, mors denique vere eruditis adponatur. Vellem insuper

majori delectu usus fuisset Auctor celeberrimus, nec Miscellanea duntaxat nobis sua, & Adversaria dedisset, sed judicium quoque interposuisset, quod fere ubivis desideramus. Kal. Sept. 1713.

XXXIII.

JO. HENR. MAJO FIL.

Quod honestioribus humanioribusque Viris proprium præcipuumque esse solet, ut gratis liberales esse, nullaque remunerationis spe officia præstare velint, id multis jam jam exemplis mihi comprobasti. Quare etiam supervacaneam gratiarum actionem, quam nuperrimis meis tibi reddidi, vocas, quæ tamen maxime necessaria, tibique, Vir Humanissime, debita videbatur. Igitur ne gravis tibi potius, quam gratus sim, omnibus verborum phaleris, quibus gratitudo mentis ostentari potius, quam probari solet, abstineo, licet nova occasio exinde nascatur, quod tanto studio alterum quoque Codicem Ebraicum eruere volueris. Quod equidem scrutinium, quo molestius ob indigestam voluminis molem Tibi accidit, eo gratius mihi esse debet, utpote mei causa susceptum. Attamen spero, non plane inutilem tibi, nec, quod maxime velim, publico operam futuram.

ram. Alias religio mihi foret, vel tantillo tempore hoc negotio te fraudari, quod in Reipublicæ litterariæ emolumentum impendere soles. Novum istius diligentiæ eruditionisque tuæ monumentum, quo me donare voluisti, grata mente agnosco, nihilque, quod redhostimenti loco offerre possim, suppetere doleo. Transmissum nuper Schediasma ipse nullius pretii, ac ideo etiam nullam ejus in litteris mentionem feci. Davum, non Oedipum se præstitit ejus auctor, nec reputavit secum, quam ardua res sit, linguam emortuam resuscitare, inprimis cum pauca adeo monumenta ætas reliquerit. Gaudeo igitur summopere, quod tu de restituenda nobis Punica Lingua cogites, cum nemo ad id præstandum instructior esse possit, utpote vere ad linguas natus & educatus. En tibi RHENFERDII Periculum, quod Bibliopola Batavus, qui heri advenit, commode attulit. Palmyrenum vocat, quod tu Punicum. Aliud enim non scripsisse scio, & Punicam ac Palmyrenam linguam plane eandem, vel parum discrepantem, ex Thom. HYDE loco, in appendice hujus Periculi adducto, (nimirum de Relig. vet. Pers. p. 524. & 525.) colligo. Faxit Deus T. O. M. ut telam, quam vix exorsus est Vir celeb. feliciter pertexas. Cum Franequeræ nuper morarer, illumque inviserem, pluribus de ulte-

terioribus conatibus coram egit Vir optimus, quos tamen præmatura heu nimis mors confregit! Dono quoque mihi dabat egregias duas inscriptiones Palmyrenas, Roma Illustri CUPERO transmissas (f), ærique incisas, quas, si ad manus nunc essent, una misissem. Sed videbis illas quam proxime. Utinam oculis quoque tuis intueri posses ingentem illum Punicorum nummorum Thesaurum, quem Vir Illustris Dn. BARY (g) in suburbano suo

(f) A Francisco Blanchino, de quibus vid. Clar. Belgarum ad Ant. Magliabechium, nonnullosque alios Epistol. Tom. I. p. 135. 137. &c.

(g) Frequens & honorifica JACOBI DE BARY, qui ex Hispania, Hispali, ubi Consulem Belgicum egerat, redux, incredibilem veterum nummorum, quos nec audivit, nec protulit quisquam, copiam secum extulit, fit mentio in Epistolis clarorum Belgarum ad MAGLIABECHIUM, Tomo I. p. 100. 107. 117. Tom. II. p. 216. nec non in *Lettres de Critique, d'Histoire, de Litterature, ecrites à divers Savans de l'Europe par Monf. Gisbert CUPER*, p. 349. 351. 354. &c. Præter alia CUPERUS ad Jo. CLERICUM de ipso hæc perscribit: *Recte miraris amplissimum Consulem Hispalensem, ad alia longe de-*

prope Ultrajectum possidet. Maxi-
cum admiratione vidi illum, manibus-
L que

estinatum, tam eximios progressus fecisse in studio, quod ab antiquis priscique ævi reliquiis nomen habet, & tam egregie nummos veteres explicare. Ego certe itidem in admirationem rapior, cum litteras, quas ad me longas & eo gratiores mittit, examino, & iis ex paupere meo penu aliquid repono. Video enim non absque singulari lætitia, eum de rebus Hispaniarum veteribus & recentibus, de populorum istorum nummis, de urbibus, de Diis solerter & erudite agere, & subinde mittere animadversiones, quibus licet vetus aliquis auctor fundus factus non sit, tamen ex re ipsa nasci videntur, & mihi ansam præbent penitius in eas inquirendi. Io. autem CLERICUS l. c. p. 355. se quatuor primas tabulas numismatum Gaditanorum, aut in Bætica Hispania inventorum, quatuor litteris Gallicis explicuisse meminit, eas aliquando cum aliis editum iri sperans.

Nemo sine voluptate leget, quæ de illo laudatus CUPERUS in literis, Daventria anno jam MDCCIV. d. 12. Sept. ad Wilh. Ern. TENZELIUM exaratis retulit: *Sunt varii Regum Asiæ, Ægypti, aliorumque nummi, & inprimis duo in Hispaniæ Coloniis Elephantis signati, quos & ipse vidi perelegantes, quosque exscriptos & pictos mecum com-*

que ob meam in his, quam lubens agnosco, imperitiam illotis tractavi. Omnes fa-

communicavit Jacobus de BARY, qui Batavorum Mercatorum res per 20. annos curavit Hispali, & plusquam 880. nummorum omnis magnitudinis, & omnis generis inde deportavit, quales ne quidem in regiis thesauris inveniri certum mihi equidem est. Inspexi & lustravi κειμήλια *illa, & cum sacro quasi horrore fere Coloniarum Hispaniæ & Municipiorum nummos manibus tractavi, perspexique, inde illius Regionis Geographiam mirum quantulum illustrari posse. Singulis fere 14. diebus mutuas litteras mittimus, & conamur explicare illa mysteria, & certe singularem rapereris in admirationem, si legeres illas, & videres nummorum ineditorum plurimos Ectypos, qui nobis videntur, præter alias res inauditas, docere, singulos Hispaniæ populos suis olim litteris usos esse, & præterea eas nec Punicas, nec Phœnicias esse, sed indigenas; si enim unius forent generis, unde tam insignis diversitas? Nihil jam de Inscriptionibus rarissimis, nihil de Hercule Gaditano, nihil de invicta (ita enim in nummis scribitur) Sagunto dicam, quia longius proveherer in altum, & diu nimis a gravioribus studiis abstraherem te.* vid. *Histoire de la Vie & des Ouvrages de Mr. LA CROZE par M. JORDAN. Part. II. p. 269. sq.* Ipsius vero Iac. de BARY epistolam copiosam, & solers viri acumen insignem-

ſatentur tantam nullibi eorum copiam, nec in regio Pariſiis Cimeliarchio, reperiri. O terque quaterque felicem illum, cui hanc contigit adire Corinthum, tantumque colligere apparatum, cum Conſul in Hiſpania eſſet! Præſtantiores ex his num-

gnemque rei numiſmaticæ peritiam teſtantem, Palæſtinæ ſuæ ex veteribus monumentis illuſtratæ Libro III. p. 934. ſqq. inſeruit Hadrianus RELANDUS. Cæterum Hiſpaniam, ubi gazas potiſſimum ſuas feliciter conquiſivit nobiliſſimus de BARY, nummorum veterum & incognitorum eſſe feraciſſimam, teſtis eſt omni exceptione major Emmanuel MARTINUS, inter alia ad Janum Conduith, Anglum, ſcribens: *Non miror, eam te iſthic nactum antiquorum numiſmatum copiam, qui ſciam, omnem Hiſpaniam eorum eſſe fœcundiſſimam, nihil in ea tam obvium quam veteres nummos, ſive vomeri, ſive ligoni, ſive raſtro. Quod tamen fortunæ beneficium indigenarum inſcitia corrumpit. Quam inſaniam nec Hercules ipſe expugnare valeat, qui tot monſtra perdomuit. - - Eruuntur etiam frequentisſime in tota Hiſpania, præſertim in citeriore, ingentes nummorum quorundam acervi, characteribus ignotis, quos ego Hiſpanienſes appello. - - Punica numiſmata obvia in iſtis oris. &c.* Vid. ejus Epiſtolarum Librum VII. Tom. II. p. 13. ſq.

mis in æs insculpi curavit, has tamen tabellas, quanquam summo earum flagrarem desiderio, habere non potui a viro cæterum humanissimo, quippe qui exteros serena non solum fronte excipere, ac animum oculosque Numophylacii sui deliciis, sed & corpus pascere ac recreare solet, quod ob loci ab urbe distantiam, penuriamque commode accidit. Si haberem dictas Tabellas (h), tecum etiam communicarem. Ast summa cum voluptate percepi, alia multa monumenta egregia, quæ Amstelodami intueri licuit, jam publicata esse, quæ tibi & magno delectamento & maximo adjumento esse poterunt. Ea nimirum collegit stupendo labore in secundis suis itineribus Vir indefessus, ac priorum, quæ peregit, descriptione jam defunctus celeberrimus Dominus le BRUYN (i). Alterum hoc iter præcipue instituit, ut accuratissimam Persepoleos, in quantum quædam nobis restant præstantissimæ olim ac famosissimæ hujus urbis vestigia, descriptionem

(h) Tabellam hujusmodi nummorum in æs incisam, variis observationibus illustratam, Jo. CLERICUS in *Bibliotheque Choisie*, Tom. XI. p. 104. exhibuit.

(i) Conf. Clar. Belgarum ad Magliabechium Epistol. Tom. I. p. 141. sq. & *Lettres de Monf. Gisb. CUPER.* p. 25. 117. 298.

onem faceret. Præſtitit hoc non ſolum, ſed & plurima rudera vel lapides ipſos maximis ſumtibus ſecum attulit, Sereniſſimo Brunſvicenſium Duci jam oblatos, reliquorum vero, quos præ mole vindicare nequivit, elegantiſſimas delineationes, ut ſummus pictoria arte magiſter, ſibi fecit. Harum elegantiam probe quidem perſpexi, ſed de fide, vel etiam dexteritate Viri, utpote elegantiorum, & inprimis harum litterarum rudis, nil definio; etſi multis verbis eam ſibi aſſerere ac deprædicare nobis ſtudebat, quam improbo labore ac ſtudio litterarum characteres familiares ſibi reddiderit, quo exantlato nullo poſtea negotio Inſcriptiones, etiam in altiſſimis locis poſitas, legere ac deſcribere calluerit. Sperabam optabamque, eximiam hujus Itinerarii partem alteram hiſce nundinis nobis allatum iri; ſed nullus Bibliopolarum ejus exemplum advexit, quod ipſius autoris ſumtibus prodierit. Quæ vero ita eduntur, Bibliopolarum, uti noſti, invidia premuntur, ideoque his carendum eſt diu Eruditis. Verum juſtas has querelas jam non repeto, ſed ad tuas potius, quas de nuperrima in publicum prolata Bibliotheca antiquaria fundis, accedo. Probo illas, mitigandas tamen ex parte judicavi, pace tua. Licet enim facile concedam tibi, librum illis, qui ſcribentium ordinem ambiunt, vel potius infamant,

 ani-

animum addere ansamque dare : attamen talium librorum ad Historiam litterariam, librariamque usus tantus est, ut justus ille metus me non absterreat, quo minus optem, ut in omni disciplinarum genere tam copiosi nobis indices extent. Quanquam enim altæ tantæque de scribendi Cacoethe sint querimoniæ, ut gravissimi quidam Viri non aliud remedium superesse crediderint, quam si publica auctoritate compesceretur; attamen firmissime mihi persuasum habeo, ab hoc consilio eadem orbi litterario, imo universo, damna, quæ Expurgatorii Indices olim intulere, imo interitum ipsum metuendum esse. Ut taceam difficultatem nominandi constituendique Censores. Vix enim in toto terrarum orbe vel unum Aristarchum reperias, qui, si vel eruditionem, vel fidem, vel candorem spectes, huic oneri par sit. Quod evidenter demonstrari posset, si hujus loci esset. Scribant omnes! innumera mundus adhuc ferre potest scripta, imo quam plurimis, iisque maxime necessariis, caret. Natura sic comparatum est, ut juncta sint mala bonis, modo ne nimis excedat malorum numerus, nec lolium & steriles dominentur avenæ. Nec desperemus, si augeri zizaniam videamus, & cum prudenti illo patrefamilias crescere potius una, quam evellere ac omnia perdere sinamus. Sit omnibus libertas; hæc omnium bonorum fons

fons est. Effrænis paulo est in republica litteraria, dedecus etiam damnumque parit; fateor. Sed si prematur, interitum affert. E duobus malis minimum elige; nam medium soli beati tenuere. Infamia cadat in eos, qui malos monstrososque foetus parturiunt, vel potius abortiunt, damnum vero omne in illos, qui illotas manus obstetricantes porrigunt, vel abortui causam dant, Typographos, Bibliopolasve puto. Eruditi vel ex immensa copia selectum sibi facere norunt, tyronibusque suo judicio succurrere possint, atque in Academiis viros constituant, qui hæc ex professo agant. Ast magnum hic latet iniquitatis & ignorantiæ mysterium. Judicium merito quoque desideras in Bibliotheca illa antiquaria, quod si interposuisset autor, opus fuisset præstantissimum. Sed quid ago? In volumen excrescet epistola, quod schedarum libellorumque molem augere, vel, quod magis metuo, nauseam tædiumque tibi creare possit. d. v. Sept. 1713.

XXXIV.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Nisi te nimium mihi tribuere, majorique ineptias meas amore prosequi nossem,

 quam

quam aut exigere possem ipse, aut temere alii credere: facile existimarem, seculi te genium hac parte sequi, cui verba dare admodum solenne est. Jam vero & illustribus exemplis comprobata integritas tua, & nullo ferrumine immisso fucatior reddita germana fides, & tot virorum summorum de tuæ humanitatis fulgore testimonia, dubitare non permittunt, maxima Te erga me ferri, & sincera quidem benevolentia. Atque huic adscribo, quod opellam in eruendis manuscriptis codicibus tanti æstimes, quod nugas nuper venum expositas, tibique transmissas prædices, quod ad infima eruditorum subsellia sedenti, locum digniorem conferas. Enimvero mallem, Vir Generos. parcius ista diceres, nec me audiente. Satis mihi est, Te habere fautorem studiorum meorum. Relinquamus igitur, tua pace, hæc omnia, de veris officiorum mutuorum speciminibus unice solliciti; neque enim majori nos devincire possumus vinculo, quam curando, quæ grata accidere queunt. Lustravi, quod nosti, alterum quoque Codicem scriptum manu, unde, quæ ad usum meum esse videbantur, desumsi omnia. Nunc intelligis, cui homini commodaveris libros tuos, furaci scilicet & plagiario, succum libris subtrahenti, corticem remissuro. Neque tamen mihi servabo illas divitias soli; litteratum orbem, quod de-

sideras

ſideras impenſe, ditare iisdem ſtudebo. Propediem itaque fiet, ut præſtantiora hujus libri in obſervationibus paſſim meis comparitura ſint, in quibus & tuum venerabile nomen ſubinde leges, & pietatis erga te meæ veſtigia animadvertes. Nondum, quod novi, impreſſus eſt alter ille codex, enarrationes in diverſos libros Biblicos continens, conſarcinatas ex optimis Judaicæ gentis interpretibus, & paucis hinc inde auctas. Neſcio, quo fato ad me devenerit RHENFERDII Periculum Palmyrenum, quum Periculum ejusdem Punicum rogaviſſem. Sive vero meæ hoc tribuendum feſtinationi, nomina fortaſſis gentium permutanti, ſive tuæ benignitati, quæ, cum hujus fieri compos nequiverit, illud miſit; gratiſſima tamen mente veneror tuum bene de me merendi ſtudium, quod & indicatione variorum Punicorum gazophylaciorum luculentius comprobatum dediſti. Non video, Vir Summe, qui ex debitorum cumulo me liberem; adeo magna ſunt & multa, quæ indies in me confers. Palmyrenum nunc periculum ad te redire jubeo, quo ipſo B. auctor me donaverat; cujus inſcriptiones binas, Roma illuſtri CUPERO transmiſſas, ſi vel inſpicere liceret, quantas tibi referrem gratias! nam & nobis RHENFERDIUS aliquas dedit, typis vero nondum expreſſas. Quæ de Dn. BARY & le BRUYN

narravisti, uti ante hanc inaudita diem fuerunt, ita longe jucundissima, quamvis & hoc thesauro carendum mihi sit, ad tenebras damnato, nec Belgium, nec Angliam visuro. Bibliothecæ antiquariæ defensionem suscepisti, Vir consultissime. Admitto illam per omnia; sequor judicium tuum, nec ero tibi adversus. Locum utique habet illud Mosis: *Utinam vaticinentur omnes!* Verum ut vaticinia debent esse vera ex omni parte, in quibus nihil unquam desideres: ita optandum, ut, qui animum ad scribendum impellunt, circumspecte id negotium tractent, quum delicata res sit, adplausum recte sentientium mereri. Ego sic existimo de bibliotheca illa: eruditos juvabit, superficiaria doctrina imbutis inertiæ erit nutrimentum, indoctis plane non proderit. Illi gratias habebunt viro eruditissimo, unum alterumve scriptorem indicanti, non omnibus obvium; isti velut ad Jovis aram eo confugient, ignorantiæ quæsituri pallium, multorum scriptorum, quos nec viderunt per vitam, nec alibi, quam eo in libro, legerunt, ostentatione; hi parum de antiquis solliciti, aliena curant. Sed illud scribendi cacoethes, de quo & ipse conquereris, quando e Germania proscribetur? Saxoniam inprimis malum hoc occupavit, & ita quidem, ut nec plures, nec stultiores alibi temere invenias scriptores. OLEARI-

OS,

OS, RECHENBERGIOS, DANZIOS, HARDTIOS, BUDDEOS excipio, & nonnullos alios, verum tam paucos, ut annulo inscribi possint. Considera, Vir amicissime, relationes litterarias, quibus nunc abundamus. Quanti putas illas esse faciendas? Nonne & hinc, qui veram sectantur eruditionem, multa hauriunt ad usus proprios? atqui alii etiam indocti & ignavi libros recensitos tam frequenter crepant, ut garrientibus auscultare molestum sit. Hæc est illa pernicies, quæ nobiles & semidoctos invasit, ut ex catalogis sapere discant, non ex libris Auctorum ipsis. Hinc videas, ridiculos homines tam multa de capitibus librorum, de auctoribus, de judiciis, de oppugnatoribus, deblaterare, ut eruditionis te monstrum audire opineris; quum interea, si accuratius instituas cum loculejo examen, stuporem & summam omnium inscitiam sit proditurus. Longe, & longe aliter se habet cum illis, qui recte norunt uti libris, non ostentandi, sed discendi causa volvendis revolvendisque. Quorum in censum ut numerandus olim veniam, omnem moveo lapidem, eaque fini attente tuos lustravi codices, & circumspecte, ne vitio dari possit, me illorum imitatum consuetudinem, quibus sat est, obiter vidisse codicem, nosse in hac vel illa bibliotheca exstare membranas, ner-

vum

vum vero & ſuccum negligere. XIV. ante Kal. Oct. 1713.

XXXV.

JO. HENRICO MAJO FIL.

Cum tuum Goliani operis deſiderium cognitum mihi ſit, gaudeo ſane, quod illi ſatisfacere tandem poſſim, poſtquam præfixus DANZIO terminus exſpiravit feliciter. Facies nunc cum illo, utcunque tibi videbitur, aut in privatos uſus deſcribes GOLII notas, vel operæ pretium ſi judicaveris, in publicum edes. Verbo: plenam ejus poteſtatem tibi facio, modo poſt temporis intervallum redeat ad me liber, in viri optimi memoriam ſervandus. Codicibus quoque pro lubitu uti frui potes, reliquosque omnes a me exſpecta, non ſolum eos, quos nuper apud me vidiſti, ſed & alios bene multos, qui nuper demum in manus meas inciderunt. Exprime modo illis ſuccum, ſatis mihi glorioſum erit, capita mortua ſervare, poſtquam arte tua, igneoque ingenio tuo inde præparata ſunt, quæ & tuo, aliorumque eruditorum palato grata eſſe poſſint. Igitur jucundum erit, ſi vel tuis, nunquam absque elogio, aſt, ut morem tibi geram, nunc ſine illo nominandis obſervationibus, quæ memo-

memoratu digna obveniunt, inſeras, vel tamdiu ſerves, uſque dum omnes abſolveris Codices. Nam meliora præſtantioraque forſan in reliquis occurrent, quæ peculiari tractationi vel epiſtolicæ Diſſertationi anſam dare poſſent, qua me ſimul, quod enixe rogavi, atque etiamnum rogo, de omnibus codicibus certiorem reddere, doctioresque erudire poſſes. Liberius tecum ago, quod pro ſingulari, qua me complecteris, benivolentia haud vertes vitio. Nulla me vexat oſtentatio, nec famam aucupor inanem, hoc tamen publico conſtare velim, me non fruges conſumere natum, ſed in litterario meo otio publicæ utilitatis non immemorem plane exiſtere, & licet ipſe nil præſtiterim, aliorum tamen de re litteraria bene merendi conatus pro virium tenuitate promovere anniſum ſemper fuiſſe. Quod quidem ſi vel leviſſimam nominis mei memoriam mereatur, ſummum felicitatis gradum attigiſſe mihi videbor. Maxima enim voluptate me affecerunt ſemper verba Plinii, quibus Libr. II. Epiſt. 10. Octavium ad editionem verſuum hortatur: *Habe ante oculos mortalitatem, a qua aſſerere te hoc uno monumento potes. Nam cætera fragilia & caduca, non minus quam ipſi homines occidunt, deſinuntque.* Et alio loco Lib. III. Epiſt. 7. *Tanto magis hoc, quicquid eſt temporis futilis & caduci, ſi non datur factis (nam horum materia in aliena*

aliena manu) certe studiis proferamus : & quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Nolui sane sortem, quam maxima hominum multitudo solet sequi, qui dum velut putidi fungi nascuntur, ita etiam sine cultura atque usu pereunt. Dum vero scribentium numerum, de quo iterum conquestus es merito, augere multis de causis abhorream, id sane agam, ut alios strenue adjuvem, &, si quæ mihi sors bona offerat, quæ illorum studia promovere queant, liberaliter concedam. Annuat modo & in posterum Numen benignissimum, propositumque secundet! Nuperrimis demum nundinis quatuor vetustis Codicibus locupletior iterum factus sum, quorum duo auro, picturisque pro seculi ingenio artificiosissimis, reliqui vero argumenti pondere insigniti sunt. Unus enim Magni illius Gregorii enarrationes in Scripturam S. continet; alter vero eximiæ vetustatis Regulam, quam vocant, S. Benedicti complectitur, adjectis aliis historici argumenti rebus lectu dignissimis. Præfixæ inter alia huic codici sunt litteræ fundationis cujusdam monasterii prope Moguntiam, Carolinorum temporibus conditi. Ex ipsis originalibus, ut loqui amant, vel authenticis litteris exaratum videtur apographum hoc, cum istius seculi scripturam plane æmuletur. Alias nullus pene liber

hisce

hisce nundinis prodiit alicujus momenti. Quod calamitosis hisce temporibus, ubi Mars & Mors, crudele par fratrum, sæviunt, non est, quod mireris. Ex superiori Saxonia, aliisque regionibus pauci admodum, ex inferiori vero nulli plane adfuerunt Bibliopolæ. Belgæ parum tuta, lætaque pace, qua inductos vel circumductos se vident, unicum saltem opus præstans attulere. Uberrimum videlicet Antiquitatum Lexicon, PITISCO autore, duobus constans voluminibus maximis. Quod, cum viginti unciales pro illo exegerint, nondum emi, cum spes etiam sit, ut illius pretium temporis successu retro abeat. Wetstenius fidem quoque fecit, sextum etiam FABRICII Librum Bibliothecæ Græcæ brevi proditurum; de quo in sinu gaudeo, animitusque voveo, ut in loco, quo degit, maxime afflicto, Deus T. O. M. virum optimum servet. d. VII. Oct. 1713.

XXXVI.

JO. HENRICVS MAJVS FIL.

Vezlariam hodie abit Zangius ille, quo comitante Tuam primum ingressus sum vastissimam elegantissimamque bibliothecam: is proximo Jovis aut Veneris die Fran-

co-

cofordiam migrabit , manufcriptos codices tuos fecum ferens, una cum duobus libellis Arabicis , quos in mei memoriam reliquos inter libros tuos ut reponas, vehementer peto. Non adfurget iftud munufculum ad exfpectationem tuam, leve nimirum, nec tanto viro dignum. Continet uterque librorum Alcorani quædam capita, eo prorfus modo, ut in Turcia folent Prophetici illius libri frufta in unum bene corpus colligi, atque tum divendi. Quare, quum partes duntaxat tibi, Vir Generofiffime, offeram, non eft, cur aut gaudeas tute, aut multis mercem ipfe deprædicem. Habeas fragmenta illa, integro animo confecrata tibi, cui meipfum debeo. At quid de tuis libris commemorem? Rari funt, & boni, & digni, qui follicite adferventur; quid finguli tractent, fchedæ docebunt, frontifpiciis præfixæ, nec non margini adfcriptæ notæ. Tibi vero maximas ago gratias, cujus beneficio evolvere licuit codices, & cujus liberalitas adeo illuftris eft, ut his promeritis non contenta, alios quoque pari benevolentia communes mecum faciendos promittat. Amplector tuam benignitatem, omnemque tibi in eruendo alacritatem, & remittendo induftriam, fidemque fpondeo. Vah! quanto fum gaudio mellito perfufus, fimulac e terfiffimis tuis intellexi, GOLIUM tandem ad me venturum, diu defideratum he-

hoſpitem. Tractabo eum civiliter, nec deplumabo totum, ne, qui Arabs eſt, Platonico ſimilis videatur homini. Integrum reſtituam ſalvumque, ac tua pace in meum publicumque uſum deſumam, quæ utilia erunt. Jam cogitaveram ipſe de epiſtolica diſſertatione, codices tuos enarrante; atque nunc ardentius proſequar inſtitutum, quod & tibi in mente fuiſſe gaudens percepi. Vel, ſi mavis, catalogus edetur manuſcriptorum bibliothecæ tuæ, qualem COLOMESIUS dedit Voſſianæ, niſi quod ſpecimina ubivis adjicienda exiſtimem, eorum ſaltem librorum, quæ lucem nondum viderunt: qua fini ex ſingulis notabilia decerpo, uſui olim futura. Felicem te, cui tantæ contigerunt opes, tam invidendus theſaurus, tam elegans ſupellex: Tecum vellem & vivere cum libris, & cum illis obrui. Negotioſum profecto eſt otium tuum, cujus fructus tot nunc ſentiunt eruditi, alterum in te PEIRESKIUM nacti; experientur poſteri, quorum ſermonibus tua ſtudia virtutesque celebrabuntur. Hieronymum, quæſo, noſtra ætate litteratis offer, nec diutius invide ornamenta ſcriptori, quæ a te unico exſpectamus. Magna erit vel hoc ſolo fama tua & immortalis, idque jure, quum ea detergere poſſis, quæ tot ſeculis ſitu obductum D. Patrem reddiderunt nonnihil horridum. Felicitatem tuam in conſequen-

dis manu exaratis Codicibus sæpe sum miratus, & nunc rariores quosdam tibi obtigisse denuo & miror, & gratulor, eandemque tibi felicitatem perpetuam esse voveo. Sextam bibliothecæ Græcæ Fabricianæ partem avidus tecum exspecto, viroque summo ea adprecari bona nunquam cessabo, quæ meritis ejus condigna sunt. a. d. VII. Id. Oct. 1713.

XXXVII.

JO. HENR. MAJO FIL.

Opportune, quæ ipsi commiseras, reddidit Zangius, cui certe ego plurimum debeo, quod ipso introductore, ac comite Musas meas primum Tua præsentia beaveris. Nunc illi gratias quoque habeo, quod Codices Hebraicos tua manu ornatiores ac pretiosiores non solum retulerit, sed & binos Arabicos libellos, quos tuæ munificentiæ acceptos fero. Pluribus gratam pro his mentem explicarem, nisi insignis modestia tua, nuperumque interdictum cohiberet. Permittes tamen, ut te rogem, ut amice, id est libere, moneas, quonam modo me ære, quo tu Vir humaniss. ac plurimum Venerandus Parens, quem salvere jubeo, me obstrinxistis, liberare queam. Nullusne liber super-

pereſt ex iis, quorum non ita pridem Indicem vidiſti, qui arrideat? Acceſſit denuo Novum Jeſu Chriſti Teſtamentum Arabice a Thoma ERPENIO editum, CRINESII Gymnaſium Lexiconque Syriacum, denique Hiſpanica Bibliotheca ab A. SCHOTTO publici juris facta, & COLOMESII denique Bibliotheca ſelecta. Sed exigua iſthæc ſunt omnia, deſignabitis igitur ipſi, quibus vobis debitum officium præſtare queam. Interim gaudeo, levidenſe in commodando Goliano Lexico, quod jam cum tribus manu exaratis Codicibus accepiſſe Te ſpero, obſequium haud diſplicuiſſe. Tam diu retinere, integrum, quam diu libitum commodumque erit. Codices membranacei ex ultimis ſunt, qui, ut mentionem feci, in manus meas inciderunt; utinam digni eſſent, ut doctis tuis oculis perluſtrentur, eruditisque notis decorentur. Obſervatione digna ex his quoque excerpes, aſſervabisque uſque dum omnes Orientales meos, ni grave accidat, abſolveris. Tunc demum, quid de animadverſis faciendum, decernere poteris. Si non adeo magni momenti fore viderimus, Catalogo manuſcriptorum meorum ea, qua bene mones, & jamdudum mecum conſtitutum eſt, ratione conficiendo, interſerentur. Illi quoque Hieronymianas meas Lectio-

nes (k) intertexam, una cum aliis, quas ex diligenti omnium codicum meorum collatione variantes deprehendero. Stultum enim ſemper illorum hominum ardorem credidi, qui ob unam alteramve lectionem, in codice, quo gaudent, deprehenſam, integrum auctorem prelo iterum atque iterum ſubjiciunt, ſeque hoc ſolo nomine ſum-

(k) Solenne erat b. VFFENBACHIO, diebus dominicis, peractis ſacris, lectitatione veterum Patrum, ad pias meditationes viam ſibi ſternere: qua occaſione interdum etiam luculentam aliquam editionem conferebat cum vetuſto ſuæ bibliothecæ Codice MS. enotatis hinc variis lectionibus notabilioribus. Sic inſignem Codicem membraneum Auguſtini de Civitate Dei diligenter comparavit cum Jo. CLERICI editione, binos item codices, quorum unus Gregorii M. Moralia in Jobum, alter ejuſdem Dialogos complectitur, cum præſtantiſſima Monachorum e Congregatione S. Mauri editione, & codicem epiſtolarum aliorumque opuſculorum Hieronymi, ſæculo XIII. in membran. manu exaratum cum Jo. MARTIANÆI editione, variasque inde lectiones memorabiliores congeſſit, de quibus videſis Bibliothecæ Vffenbachianæ univerſalis Tom. III. p. 463.

ſummos in orbe criticos reputant. Hinc innumeræ illæ auctorum veterum editiones ſuperfluæ; hinc etiam præſtantiſſimi ſtudii critici contemtus. Melius agerent illi, ſi omnem Lectionum ſuarum farraginem paucis foliis inſcriberent, cumque aliis ederent, ut habeant Viri eruditi, quibus ingenium exerceant, meliores inde ſeligant, optimos quosvis autores illis ornent, atque emendent. O quam multæ, etiam egregiæ lectiones veterum tam ſacrorum quam profanorum autorum ob hoc inſtitutum, conſiliumve neglectum premuntur, dum bibliothecarum Præfecti, vel alii etiam privati poſſeſſores præſtantiſſimos Codices ſuos vel negligentia, vel inſcitia, vel etiam præpoſtero in hoc ſtudium faſtu ſibi aliisque inutiles jacere patiuntur. Perpende quæſo mecum, Vir eruditiſſ. quantus theſaurus ex ſolius Bodlejanæ Bibliothecæ codicibus elici poſſit, niſi Proto-Bibliothecarii HUDSON negligentia ac pertinacia obſtaret. Is enim muneri abunde ſatisfeciſſe, imo eximie ornaſſe ſpartam videri vult, dum tot annis unico ſcriptori, Thucydidem ejus puto, omni Bibliothecæ cura plane abjecta inſudavit, cum hoc, quod ſupra dixi, potius agendum fuiſſet. Nefandam hujus inſignis Bibliothecæ ſortem (ignoſce juſtæ indignationi) ſatis deplorare nequeo. Inculta plane jacet, nemo ferme tanto theſauro

 uti

uti frui gestit. Singulis sane diebus per trium mensium spatium illam frequentavi, sed ita me dii ament, nunquam tot una vice homines in illa vidi, quot numero sunt Musæ, vel saltem artes liberales. De librorum studiosis loquor; nam puerorum, muliercularum, rusticorum hinc inde cursitantium, voluminumque multitudinem per transennas spectantium, mirantiumque cœtum excipio. Quid dicam de Præfectis? de Proto-Bibliothecarii incuria jam dixi, ejusque stupendam in Historia litteraria, librariaque, inprimis extra Insulam, ultraque maria ignorantiam taceo. Alteri, nomine CRAB, caput vacuum cerebro est, lepidum alias, dignusque homo, quem ridiculo illo encomio, quo tamen multi serio egregios Viros onerarunt, ornetur, vociteturque Helluo, non librorum tamen, sed præmiorum, quæ ab exteris Bibliothecam hanc invisentibus avide excipit, statimque cauponibus reddit pro liquore, ad guttur colluendum, purgandumque a pulvisculo, qui librorum tractationem velut umbra aut nebula comitari solet. Quamvis non ejus, sed tertii infimique Bibliothecarii hoc sit muneris, ut libros in loculos reponat, quævis in ordinem redigat, atque emundet. Hic Scholaris, ut hic loqui amant, esse solet, atque etiamnum est, nomine HEARNE, qui præ reliquis, diligentiam suam non modo scri-

ptis,

ptis, sed in novo etiam Bibliothecæ catalogo conficiendo, typis proxime exscribendo probavit: ast, quod dolendum, ad exemplum prioris, qui satis jejunus, inconcinnus, erroribusque innumeris scatens est. Talis quoque est Index manuscriptorum, qui non solum hujus, sed & totius Angliæ Bibliothecarum codices complectitur. Quantos lapsus in hoc, dum Oxonii, Cantabrigiæ, Londini ipsos codices perquirerem, invenerim, diarium meum monstrare poterit. Integros duos chartæ scapos errorum notationibus complevi indignabundus. Non est hujus loci exaggerare errores; ast ipse nosti, quam supine confectus sit Catalogus. Tribus saltem verbis codices enarrantur, nulla addita mentione, cujusnam sint notæ, cujus ætatis, sintne membranacei, vel chartacei, ne quidem additum, cujus formæ. Hæc omnia de potioribus codicibus diligenter in meos usus annotavi, quantum quidem temporis angustia permisit. Interim optandum esset, ut reliquæ Europæ gentes Anglos sequerentur, talesque indices conscriberent. Quanta Cimelia ex Galliæ, Hispaniæ, Italiæ & nostræ denique Germaniæ Bibliothecis proditura essent! quantum id eruditorum studia promovere posset! Sed hoc piis desideriis adscribendum est. Finem epistolæ, quæ jamjam modum excessit, facerem, nisi tu adhuc ro-

 gan-

gandus mihi esses, velis haud gravatim Indicem rariorum aliquot librorum Hebraicorum texere. Judæus enim, qui nuper Codices vendidit, operam addixit, libros quoscunque e Belgio, Italia, &c. procurandi. Attulit mihi nuper Biblia Hebraica, nitidissimis Roberti Stephani typis exarata, porro librum Rasiel, de quo BUXTORFIUS in Bibliotheca Rabbinica ex D. SWENTERI litteris (nam ipse oculis suis nunquam usurpasse videtur) mira narrat hujus libri deliramenta. Acceptus fuit libellus, cum cæteris hujus furfuris reponendus in locum damnatorum. Nunquam credidissem, tot Magicorum næniis orbem eruditum repletum esse, nisi Augustanus quidam Bibliopola, Kühtze, ejusmodi librorum Indicem (l) plus centum complecten-

(l) Est mihi ille index ad manus, libros magicos quadraginta supra centum complectens, ac sine anni locique nota hoc titulo exscriptus: *Catalogus rariorum manuscriptorum.* Lipsia eum ad Ill. Uffenbachium A. 1727. Henricus Wilhelmus Marschalch transmisit, hæcque simul de illo retulit: *Alle darinn gemeldte Scripta hat ein gewisser hiesiger Doctor ehedessen beysammen gehabt, und vor 4000. Reichsthaler an den ersten vermægenden Liebhaber verkauffen wollen. Ein Buchhændler, welcher gegenwærtiges Blat-*

ctentem obtulisset, proque eis, in aurem tibi dico, quinque millia nummorum, quos M 5 flore-

Blætgen debitierte, kam auf Veranlassung Herrn D. Læschers darüber in Verantwortung, und dieses leztere muste als confisciert denen Gerichten ausgeliefert werden. Doch bekame der Besizer von allem zeitlich Wind, so dass er die MSta insgesamt in Sicherheit brachte. Er starb kurz darauf, und vermachte den ganzen Vorrath an die hiesige Raths-Bibliothec, allwo selbiger bis diese Stunde, wiewol en cachette *aufgehoben wird.* Miror vero, hunc catalogum, perpetuis tenebris juxta cum ipsis libris superstitiosissimis dignum, in lucem revocasse Herrenstadii A. 1732. Fridericum Roth-Scholzium, bibliopolam quondam Altorfinum, hoc titulo ipsi præfixo: *Catalogus rariorum librorum & manuscriptorum magico-cabalistico-chymicorum.* Magis autem miror, editorem nefandam hanc librorum farraginem ceu eximiam lectoribus commendare haud dubitasse. En ejus verba, quæ pristinum possessorem nobis etiam cognitum reddunt: *Von dieser schönen Sammlung rarer Bücher und MSS. war der nun sel. Herr Samuel Schrœer, Doct. & Med. Pract. Lipsiensis, Besizer, davon er A. 1710. diesen Catalogum in gross quart druken liess, um solche an einen Liebhaber um 4000. Reichsthaler zu überlassen, die ich bey ihme,*

florenos vocamus, exegisset. Sed tanti pœnitere non emo, vix totidem teruncios pro talibus nugis profundere vellem. Bibliopola collectorem magni nominis Virum asserit, & Catalogus rariorum librorum vocatur. Sed ipse procul dubio corrasor fuit, glaucoma objiciens, quo facilius emtori fraudem imponat. Abeat in malam crucem impostor, quicunque fuerit, rarosque libros hos sibi habeat, atque muribus, blattis ac tineis in escam. Tu, Vir Eruditissime, si, quod jam petii, meliores quosdam libros notares, & mihi & Tibi ipsi officium præstares, nam meum orientalium apparatum ornares, qui tuis semper usibus patebit. Pretiosa vero nimis opera omittes, reliquorum enim in libros, qui meis studiis inservire possunt, expensorum ratio habenda. Ast si quosdam præprimis desideres, illos, amabo te, nota, quantivis enim pretio coemturus sum, quo meam Tibi inserviendi voluntatem commonstrem. Vale. Dabam Francofurti d. 28. Octobr. 1713.

SPE-

ihme, als meinem hochwerthesten Freunde und Gönner, öfters gesehen. Ob nun solche nach seinem Tode, wie ich versichert worden, in die Königlich-Pohlnische und Churfürstliche Sæchsische Bibliothec kommen seye, solches kan ich nicht gewiss sagen.

SPECIMEN
Animadversionum b. VFFENBACHII in Catalogos Librorum MSStorum Angliæ & Hiberniæ.

Hi Catalogi in unum collecti laudabili consilio in primæ magnitudinis forma splendide Oxonii e Theatro Sheldoniano A. MDCXCVII. prodierunt (m) Beneficium hoc eruditus orbis potissimum Viro literatissimo, Edwardo BERNARDO, acceptum refert; quo autem editioni operis immortuo, ultimam manum Humfredus WANLEY imposuit, cujus studio quinque indices amplissimi accesserunt. Triginta propemodum librorum MSStorum millia his catalogis continentur: nec tamen ita rem exhaustam putat in præfatione sua WANLEYUS, quin alia adhuc triginta millia habeantur in Anglia, quæ in illis non memorantur. Huic autem numero quin interea temporis maxima fuerit facta accessio, singularis ille, quo in hæc bibliothecarum cimelia flagrant, Anglorum ardor neminem dubitare sinit.

In

(m) Recensionem hujus Collectionis vid. in Actis Eruditorum A. MDCXCIX. p. 225. sqq. & in L. NEOCORI ac Henr. SIKII Bibliotheca Librorum novorum, Tom. III. p. 794. sqq.

In præfatione sua inter alia hæc habet WANLEYUS : *Fatendum est, non tanta accuratione descriptos esse Catalogi libros omnes, quanta res capax esset. Verum illud accuratione summa peragere, nec unius hominis opus esset, nec parvi temporis. Ecquis enim est, qui tot linguarum peritus est, tantoque abundat otio, ut eos omnes possit evolvere, & , quid in quoque notatu dignum sit, indicare; quid horum sit aut editum, aut non editum, insinuare; & quibus editionibus emendandis subservire possint? Nedum qui possit, sive inspectis sive non inspectis libris illis omnibus, satis determinare, quo tempore, aut ubi locorum, aut quo autore scriptus sit eorum quisque, si non in ipso Codice id fuerit diserte indicatum?*

Iniqui essemus, nisi hoc facile Viro docto largiremur. At cum VFFENBACHIO, idoneo harum rerum arbitro, in hac eximia cæteroqui collectione id merito desiderari censemus, quod ne indicatum quidem fuerit, an Codices sint membranei, aut chartacei, vel cujus etiam formæ (n), id quod tamen factu fuisset facillimum: ne quid de ætate generatim dicam, an Co-

(n) Pauculis exceptis Catalogis, v. g. Collegii Universitatis in Oxonia, Tom. I. P. II. f. 1. sqq. Collegii Reginensis ibidem, f. 29. Collegii Ænei Nasi ibid. f. 46. Collegii Corporis Christi ibid. f. 48. sqq. Aulæ b. Mariæ Magdal. f. 48. &c.

Codex ſit antiquus, vel recentior. Hoc igitur ſibi, cum illuſtriores quasdam Bibliothecas Anglicanas cupidis luſtraret oculis, datum eſſe exiſtimabat Vir optimus, ut ipſos cum Catalogis conferens Codices, quantum quidem per anguſtiam temporis fieri poterat, hæc aliaque in ſuos uſus annotaret, inque itineris ſui diarium referret; unde jam aliquod ſpecimen in noſtrorum lectorum gratiam depromtum ſuppeditare non piget.

In Tomi I. Parte III. laudatæ Collectionis f. 93. ſqq. exhibetur Catalogus librorum MSStorum Collegii S. Trinitatis apud Cantabrigiam, ab Henrico LAUGTHONO, Bibliothecæ publicæ præfecto, concinnatus. In hoc f. 94. num. 164. comparet *Chronicon Martini Poloni.* Codex eſt membranaceus in 4. ſatis antiquus, in quo Noſter narrationem de Joanna Papiſſa ad A. DCCCLVIII. deprehendit. F. 95. num. 213. *Chronica Gervaſii; hæc vero non incipit ante pag. 55. ei vero præmittuntur quædam de combuſtione Eccleſiæ Cantuarienſis.* Codex membr. in fol. non adeo antiquus. Tractatus de combuſtione Eccleſiæ Cantuarienſis procedit a fol. 1. uſque ad 15. Sed & Codici huic inſerta eſt, in Catalogo prætermiſſa Imaginatio Gervaſii de differentiis inter Archiepiſcopos Cantuarienſes & Monachos Monaſterii S. Auguſtini a f. 17. ad 51.

Tum

Tum sequitur prologus Gervasii in Chronicon a f. 51. ad 55. inde vero ipsum Chronicon, ad fol. usque 365. Sub initium annotatum est, isthoc Gervasii Chronicon exstare inter X. Scriptores Angliæ, Londini A. 1650. in fol. evulgatos. Fol. eod. num. 219. *Rabanus Maurus de laude S. Crucis, Saxonico charactere.* Codex membr. in fol. antiquus, satis eleganter scriptus. Figuræ egregiis pictæ sunt coloribus.

Fol. eod. num. 251. & num. 252. *Duo volumina ingentia operum S. Hieronymi in membranis impressorum a T. Werckon A. D. 1447.* Triplex hic error commissus est. Nam 1. typographi nomen haud est *Werckon*, sed *Wercken*. 2. unum volumen non A. 1447. sed A. 1477. impressum est, alterum A. 1478. In hujus enim calce hæc leguntur verba: *Eusebii Hieronymi Doctoris eximii secundum Epistolarum explicit volumen anno Dni 1478. T. Wercken.* 3. Non alia duobus his voluminibus comprehunduntur Hieronymi Opera, nisi ejus Epistolæ. Mirum vero, Michaelem MAITTAIRE rarissimæ hujus editionis in Annalibus suis typographicis haud meminisse. Ignota etiam fuit Polyhistori celeberrimo, D. Jo. Alb. FABRICIO (o).

Eo-

(o) vid. ejus Biblioth. Lat. Vol. III. p. 450.

Eodem fol. num. 267. *1. Scala Mundi. 2. Chronica Martini Poloni amplior, quam vulgo habetur.* Codex membr. in 4. Scala mundi opusculum est chronologicum. Quæ ad Martini Poloni Chronicon accesserunt, a Nicolao III. Pont. Rom. A. 1277. usque ad Benedictum XII. A. 1384. quinque foliis constant. Relatio de Joanna Papissa suo loco comparet, his in margine a recentiori manu adjectis: *Bernardus Guido de Ordine Prædicatorum S. Sedis Apostolicæ Inquisitor in magno suo Catalogo Pontificum Rom. antiquus scriptor fol. 143. de ista Johanna profert verba ut hic.* Evolvens Noster laudatum Guidonis Codicem, eam narrationem iisdem verbis expressam invenit. Guido igitur, utpote paulo junior, eam ex Martino Polono hausit. Notatu autem dignum, illum, licet Inquisitor S. Sedis Apostolicæ, quam vocant, fuerit, eam in Catalogum suum referre non dubitasse. De hoc Guidone vide D. Jo. Alb. FABRICII Bibliothecam mediæ & infimæ Latinitatis, Tom. I. p. 595. sqq.

Fol. 96. num. 291. *Euthymius, Græce.* Codex chartaceus recentior, qui caret initio. Quæ in Catalogo huic juncta sunt, tanquam unum volumen simul conficientia, singula seorsim compacta sunt: nempe *Rotula, sive volumen chronologicum ab Adamo ad Henricum VI. Antiquitates Ecclesiæ Glastoniensis.* *Chro-*

Chronica Gualtheri Hemingford Canonici de Gysburne de gestis Regum Angliæ. Radulphus Niger. Æmilius Probus, sive Cornelius Nepos. Liber pulcherrimus. Elogio isthoc dignus est Cornelii Nepotis Codex membranaceus in duodecimo, sed inter recentiores referendus. Fol. eodem num. 309. *Ranulphi Cestrensis Monachi Polychronion, sive de statu Britanniæ*, a fol. 1. -- 278. *Chronica Universitatis Cantabrigiensis, collecta ex diversis libris inventis in Monasteriis Angliæ, præcipue Walliæ & Cornubiæ.* Quis credat, splendidum hunc titulum unico tantum folio 279. tribui? *Historia Parliamenti Ricardi II. anno 11. coacti*, a fol. 281 - 286. Codex membr. recentior in fol. Eadem pagina num. 314. *Gregorii Pachymerii Operum Græce Lib. 12. in quibus sunt Aristotelis Mechanica & περὶ τῶν ἀτόμων γραμμῶν.* Codex chart. recentior in fol. Num. 318. *Plotini Opera, Græce.* Codex chartaceus nitidus, sed recentior in fol. Pag. 98. num. 397. *Eulogium seu Chronicon Anonymi Benedictini. Desinit A. 1367. in cujus fine habetur tempus fundationis aliquot Monasteriorum.* Initio hujus voluminis recentior manus adscripsit: *Chronicon Diomedis.* Incipit illud a creatione mundi. Scriptum vero est eodem anno 1367. quo desinit, uti ex præfationis fine patet. Codex membr. in fol.

Pag. 100. num. 559. *Diarium Guil. Camdeni.* Codex chartaceus in 4. In hujus MSti prin-

principio comparet hoc Hieronymi ALEANDRI Epigramma in Fontem Vaticanum Pauli V. P. M.

Illud aquæ ingenium est, ut tantum exsurgat in auras,
Montanis quantum defluit e scatebris.
Hinc Vaticani superat quæ culmina tecti,
Cognatum lambens ductilis unda polum,
Non aliunde queat quam alsis labier astris,
Imperio parens, maxime PAULE, tuo.
Nam tu, cui magni custodia credita cœli est,
Cœlestes poteras ducere solus aquas.

Nec non hi versus:

Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore:
Nam simul omne perit, quod fuit, est & erit.
Quod fuit, est & erit, transit spatio brevis hora:
Ergo parum prodest, esse, fuisse, fore.

Sequuntur varia Genealogica, ac tum demum exhibetur CAMDENI Diarium.

Ead. pag. num. 561. *Habitus variorum populorum.* Sunt iconismi, ligneis formis expressi, variisque coloribus distincti, quos Joannes Weigelius, adjectis rhythmis Germanicis, Norimbergæ A. 1577. in fol. vulgavit. Qui liber cur inter MSStos Codices relatus sit, ratio dari vix potest.

Pag. 101. num. 592. *Frizii Perspectiva.* Liber hic est typis excusus per Hondium in forma quarta oblonga, atque adeo huc minime pertinens. Auctor ejus haud est Frizius, sed MAROLOIS: interpres vero, qui e Gallico in Latinum transtulit, Joannes Vredemann, Frisius, natione scilicet. Ex hoc itaque patriæ interpretis indicio effictum est nomen auctoris.

Eod. pag. num. 618. 28. *Declamationes tres, prima Libanii, reliquæ incerti auctoris ab Erasmo Roterod. Latine* (vel potius Latinitate) *donatæ, cujus etiam manuscriptæ sunt.* in forma octava majori. Titulo hæc appicta sunt: *Scriptus est liber manu ipsius interpretis, D. Erasmi nempe, constat hoc mihi ab Ab. Ortelio.* Et paulo inferius: *Jacobi Colii Orteliani 1598.* Ante præfationem legitur hic Scazon trimeter ad libellum:

Avibus secundis vade chartaceum munus,
Exile quanquam te brevis dicit vates,
Liceat modo placere Præsuli docto,
Precio lapillos viceris & Erythræos.

Præfatio hanc inscriptionem gerit: *Reverendo in Christo Patri Nicolao Episcopo Atrebatensi &c. Salutem dicit Erasmus Desiderius, Canonicus Ordinis divi Augustini.* An unquam hunc sibi titulum dederit ERASMUS, jure dubitat VFFENBACHIUS, ejusque auto-

autographum esse negat, cum literæ multo elegantius pictæ sint, quam mos erat viri alias laudatissimi. Versionem Latinam ipse excipit textus Græcus. Sed hæc de laudata Bibliotheca speciminis loco sufficiant.

Agedum vero, proferamus jam pedem cum VFFENBACHIO, vel calamum potius, Cantabrigia Oxonium (ita enim iter suum instituerat) in celeberrimam Bibliothecam Bodlejanam, non libris tantum impressis, sed manu etiam exaratis longe instructissimam, delibaturi paucula ex pluribus, quæ ille de Codicibus Græcis Baroccianis in ea asservatis annotavit. Eorum in Tomi I. Parte I. f. 1. sqq. exstat Catalogus.

Fol. 4. num. 37. ocurrit *Euripidis Hecubæ cum scholiis interlinearibus.* Codex chartaceus in 4. Scholia a recentiori manu sunt adjecta. Fol. 5. num. 50. *Theognoti Grammatici Canones Orthographiæ ultra mille ad Leonem Imperatorem.* Codex membran. in 4. cui multa alia sunt inserta. Fol. *6.* num 54. *Geoponica vulgo Constantino IV. inscripta.* Codex chart. in 4. Sub ejus initium hæc notata sunt: *Cassiani Bassi Scholastici Eclogæ Geoponicæ, Constantino Augusto inscriptæ* i. e. dedicatæ, *atque adeo vulgo, sed falso tanquam auctori adscriptæ.* Id quod etiam titulus libri

II. in ipso Catalogo productus confirmat. vid. D. Jo. Alb. FABRICII Biblioth. Græc. Vol. VI. p. 501. sqq.

Fol. 7. num 60. *Hesiodi Opera & Dies cum Scholiis Tzezæ. Ejusdem Theogonia cum Scholiis marginalibus.* num. 61. *Sophocles cum scholiis.* num. 62. *Pindari Olympia cum scholiis, Pythia & tres primæ Odæ Nemeorum sine scholiis.* Sunt Codices chartacei in 4. Scholia ab alia ac recentiori manu sunt adjecta. Quod & de num. 64. *Homeri Batrachomyomachia*, ac num. 66. Sophoclis ac Euripidis quibusdam Tragœdiis est observandum.

Fol. 22. num. 170. *Leonis Imperatoris Vaticinia Gr. Lat. per Franc. Baroccium, picturis graphice adumbrata.* Codex membranaceus recentissimus, nitidus, ac picturis elegantissimis ornatus in omnibus foliis. Ipse Baroccius horum vaticiniorum est interpres, teste libri titulo: *LEONIS sapientissimi Constantinopolitanæ urbis Imperatoris Vaticinia a Francisco BAROCCIO mendis infinitis expurgata, ac primum jam Latino sermone donata.* Dedicationis principium ita se habet: *Illustrissimo Jacobo FOSCARIO* Equiti, Cretæ *imperatoria auctoritate Consuli, Heroi amplissimo Franciscus BAROCCIUS S. P. D. Cum undecimo abhinc mense &c.* Epistola autem hæc nuncupatoria data fuit Cretæ VI. Idus Aprilis A. MDLXXVII.

Fol.

Fol. 23. num. 182. *Jo. Antiocheni Malalæ Chronicon &c.* Codex membr. antiquus in fol. non solum initio, ut in Catalogo indicatur, sed fine etiam carens. num. 183. *Amphilochii Iconii Episcopi Vita S. Basilii*, cui multa alia colligata sunt. Codex membran. antiquus in fol. Pag. 24. num. 185. *Germanus Patriarcha Cpolitanus de sex Synodis, quando & qua occasione indictæ &c.* Codex membr. antiquus in folio minori. Pag. 31. num. 230. *Vitæ Sanctorum mense Septembri*, Græce &c. Codex membr. elegans & antiquus in fol. Pag. 33. num. 238. *Vitæ Sanctorum aliquot mense Febr.* Græce. Codex membr. antiquus in fol. initio ac fine carens. num. 240. *Sanctorum Vitæ, mense Majo.* Gr. Codex membr. in fol. ejusdem cum præcedente commatis atque ætatis. Plura non addo. Unius tamen adhuc Codicis meminisse juvat ex iis, qui Bibliothecæ Bodlejanæ ex dono Thomæ ROE, militis, accessere. Obvius est ille in Catalogo fol. 37. num. 266. h. t. *Exemplar authenticum Epistolarum & Responsorum Synodi Basileensis cum sigillo appenso.* Codex membr. in fol. Sigillum non amplius aderat, ejus tamen conspiciebantur vestigia. In calce hæc adscripta sunt: *Epistole & Responsiones sacre Synodi Basileensis supra scripte concordant cum originalibus ipsius sacri Concilii facta collatione per me Notarium ipsius Concilii. Sunt in toto volumine sexaginta septem folia scripta presenti computato. ANTH. GUAL-*

TERI NOT. In folio sequenti hæc leguntur : *POSTERIS. Quod Codex hic MS.* ὑποβολιμαῖος *aut suppostitius non sit, sed fidei optimæ & authenticus, ex ipso Synodi decreto Lectori abunde constare possit, cujus verba in ulteriorem fidem transcripta apposuimus.* Eorum hoc est initium : *Item ut gesta in ipsa Synodo durabiliora testimonio &c.* Finis : *& omnimodam fidem adhibendam fore.* Allegantur deinde Acta Concilii Constantiensis & Basil. per Zachariam Ferrerium Abbatem Vicentinum Mediolani typis Gerardi Pontici A. C IↃ-IↃXI. edita. *Ita est T. B. C. R. S. BB. Proto-Bibl.* In primo folio exstat : *Joannes CI-RENBERGIUS Præconsul civitatis Gedanensis donum Th. ROE.* & paulo inferius : *ROE Acad. Oxoniensi adscribit.* Codicis tegmini hæc agglutinata est epistola :

„Florentiss. Viro & Juveni,
„Dno Reinholdo KLEINFELDIO,
„Dno Sympatriotæ Colendo.

„S. D.

„Epistolas Synodales MStas contuli cum „iis, quæ extant in Tomo III. Conciliorum, „nec deprehendi adhuc discrepantiam. Di„gnus interim Codex , qui ut ἀρχέτυπον „ob vetustatis fidem magni fiat. Litteras „ad Parentem scripsi, unicas tantum, quia „ad binas jam non vacat. Quæso te, Ami„ce colende, fac recte curentur. Scripsi „& ad M. Artium ; quodsi tu quoque ei

„per-

„perſcribis, peto meas adjungi, alioquin „hodie eram Tabell. Fr. daturus. Vale, Vir „Juvenis florentiſſ.

„Tui obſ. *Keckermannus.*

SPECIMEN Additamentorum ad Catalogum librorum MSStorum Bibliothecæ Bodleyanæ.

Ex libris donationum b. VFFENBACHIUS ea decerpſit, inque itinerum ſuorum diaria retulit, quæ poſt evulgatos librorum MSStorum in Anglia & Hibernia Catalogos liberalitate Virorum, Muſis faventium, Bibliothecæ Bodleyanæ ad annum uſque MDCCX. acceſſerunt. Enotabimus nos quædam ex iis ſpeciminis loco.

Moſes AMYRALDUS M. F. Legum D. dedit ſequentes Mſtos Codices. *1.* Volumen V. Libri Al-Ibrwa Diwan al Mubla-da continens hiſtoriam variarum Dynaſtiarum Islamismi ſcil. Dynaſtiæ Selgjukienſis, Dynaſtiæ Beni Anuſhteghin, & aliarum multarum, quarum ibi præmittitur Elenchus Arabice auctore Ibn Chuldoun. MS. Arab. in fol. charactere Africano. 2. Ejusdem libri aliud exemplar in

fol. eodem charactere. 3. Explicationem Chimiæ de confectione Lapidis auctore Abul Hafon Haslebenfi, Cod. Arab. in fol. charactere Afiatico. 4. Hiftoriam feptimi Regis Andalufiæ , qui erat Abdollah, filius Mohamed. Cod. Arab. in fol. charactere Africano. 5. Epiftolarum Turcicarum Exemplaria male fcripta , fcriptura Duvanenfi in 4.

Timotheus NOURSE, Collegii Univerfitatis olim Socius , optimæ notæ nummos antiquos, tam aureos & argenteos, quam æneos plus minus 500. maxima ex parte Græcos & Romanos moriens legavit.

Anno 1704. Nic. Frevile LAMBTON de Hardwick, Armiger, Terentii Comœdias, Codicem nitidiffime fcriptum , & picturis elegantiffimis ornatum in fol. donavit.

Anno eodem Guilielmus RAYE, Armiger, dono obtulit numifmata antiqua Græca & Romana plus minus DC. pleraque eximiæ raritatis & elegantiæ, quæ a vidua Dni Danielis Patridge benigne impetraverat , ut in archivis Bibliothecæ Bodlejanæ (prout ille defignabat, dum in vivis erat) in ufum eruditorum æternum adfervarentur. Infuper dono dedit Kalendarium Turcicum fingularis pulchritudinis, & artificii plane mirandi.

Ca-

Carolus BERNARD, Annæ Reginæ Archi-Chirurgus, Bibliothecæ dono dedit Taciti exemplar MS. ſplendidiſſimum: cui ad calcem ſubjiciuntur Epiſtolæ aliquot Julii Cæſaris Imp. & illa Pilati ad Tiberium de Jeſu Chriſto.

Anno 1705. Abednego SELLER, Eccleſiæ Anglic. Presbyter, moriens legavit Codicem MS. præſtantiſſimum, qui complectitur 1. Wilh. Malmesburienſis de geſtis Pontificum Libros IV. 2. Chronicon Lichfeldenſe. 3. de Archiepiſcopis Cantuarienſibus ab Auguſtino ad mortem Simonis de Kempham A. D. 1333. 4. de Epiſcopis Lichfeldenſibus ab A. D. 650. ad Simonem de Borisley A. D. 1347.

A. 1707. Jacobus TYRELL, Armiger, magni USSERII ex filia Nepos, de hiſtoria Anglicana, quam ſcriptis ſuis illuſtravit, præclare meritus, &, ſi fata ſiverint, porro meriturus, ex ſuo in bonas litteras amore Bibliothecæ huic dono dedit. 1. USSERII Armachani Collectaneorum ſex Volumina MSS. 2. Anonymi Prælectiones theologicas MSS. 3. Bibliothecam politicam in 13. *Dialogues*, Lond. 1694. in 4. 4. *The general Hiſtory of England both Eccleſiaſtical and Civil.* in 3. Volum. Lond. 1697. 1700. 1704. in fol. 5. USSERII Armachani Collectaneorum aliud Volumen MS.

Humfredus, HODY S. T. D. Linguæ Græcæ Professor Regius & Archidiaconus Oxon. huic Bibliothecæ, quæ sibi, dum opera sua docta & laboriosa conderet, non exiguo fuit adjumento, grati animi ergo moriens legavit, quotquot ex libris suis desiderabantur, libros scilicet typis excusos 327. ac præterea collectanea MSS. plurimis voluminibus comprehensa in 4. & 8. His accedunt alii quam plurimi libri in minori forma, nonnullique incompacti. Quin & Editha Hody, ejusdem vidua, mariti sui dilectissimi effigiem dono dedit, in Xysto Bodleyano reponendam.

Vir Rever. D. Henricus JONES, Rector Ecclesiæ de Suningvell in Comitatu Berchenensi, Bibliothecæ huic moriens legavit sequentes libros MSS. 1. Apollonium Magistrum de arte notoria in fol. 2. JohnRosse, alias Roux, Warwicensis, quatuor mundi ætates, in fol. 3. *Of the true difference of the Power of a King and the Power of theChurch &c. by John* Philpot. in fol. 4. Chronicon Cœnobii S. Swithwini Witon. in fol. 5. Waltheri Gisburne Chronicon. in fol. 6. *History of Ireland by Edm. Campion* with *Tho. Otterburnes* Chronica Regum Angliæ in fol. 7. Nicolai Trevethi Annales cum continuatione Adami Murimut. in fol. 8. Guilielmi Elphanston Historiam Scoticam. in fol. 9. Martyrologium quoddam per Monachum (nominis incerti) Fevershamensem. in fol. 10.The

10. *The* Parson's *Law.* in fol. 11. Sti Wilfrithi vitam per Stephanum Presbyterum, in fol. 12. *Cardinal Wolsey's Life by Cavendish,* in fol. 13. SPELMANNI Conciliorum Britannicorum Tomum II. recensitum, castigatum, & a mendis repurgatum per W. SOMMER. in fol. 14. a. *Cardinal Wolsey's Life by Cavendish (another Copy). b. Contemplations upon the History of Ruth &c.* in fol. 15. a. Roberti Grost'este Libellum de libero arbitrio. b. de vita & martyrio. S. Cypriani per Sym. Metaphrasten, Gr. Lat. in fol. 16. *a Rental of the Estates belonging to the Church of Westminster.* b. Statuta Collegii D. Petri Westmonasteriensis. in fol. 17. *a. Conc. the bestowing and employing of Money by Thomas Lupton.* b. Ecclesiæ Glocestriensis Statuta. c. *Rentale* Ecclesiæ D. Pauli Londinensis. d. Statuta Collegii Trinitatis Cantabr. e. Statuta Jacobi I. Regis Angl. pro singulis Ecclesiis Cathedralibus novæ, quæ vocantur, & modernæ fundationis. f. *The Ordres and Rules for establishement and good Government of the 13. poor Knights of Windsor which Q. Elisabeths grant relating to the same.* g. *an answer to a Pamphlet called a just and modest Vindication of the two last Parliaments.* h. *the arraignment of Henry Garnett Superior of the Jesuits in England.* i. *Queries propounded by the Clergy of the Diocess of London touching the Oath injoyned by the late Synod Canon VIth.* k. *the statutes of Trinity Hospital at Mel-*

Melford in Suffolk. l. Joannis Grenchalg Explicationem Aræ Romanæ votivæ, non ita pridem effossæ Cestriæ. m. *Dr. Plot's account of his intended journey through England and Wales for the Discovery of antiquities and natural curiosities.* n. *Observations conc. the Oath of Supremacy.* o. *An account of the procedings at Woodstock in 1631. against Mr. Tho. Foord's Sermon.* p. De Primatu Regis. in fol. 18. a. De vitis aliquot Sanctorum. b. Leontii vitam Joannis Alexandrini Antistitis, Latine redditam. Cod. vetustum membr. in fol. 19. Commentar. in Ecclesiasten & Apocalypsin. in fol. 20. *Statutes of Trinity Hospital in east-Greenwich in Kent.* in fol. 21. Inquisitiones & Litteras patentes plurimas ad Ecclesiam Cathedralem Herefordensem pertinentes. in fol. 22. *Indulgences to non-Conformists* A. 1672. in fol. 23. Chartas antiquas de Terris, Ecclesiæ Cathedrali Herefordensi concessis ac donatis. in 4. 24. a. Catalogum Decanorum & Præbendariorum de Windsore. b. *a Discourse relating to the Busines of excluding the Duke of Yorck from the Crown.* in 4. 25. *a Latin Tract concerning the Interpreting scripture by taking notice of the Jewish rites and Hellenistical Dialect.* in 4. 26. Decem Collationes Sanctorum Patrum per Joannem Eremitam. in 4. 27. a. *an Advertisement touching the Church of England.* b. *Conc. Causes belonging to the High-Commission-Court.* c. *Whether a Man may marry the Sister of his de-*

deceased Wife. d. Litteras Belgici Residentis Constantinopoli datas A. 1662. 63. & 64. in fol. 28. *a Discourse about the Laws touching Jesuits and Seminary-Priests by Sir Robert Cotton.* in 4. 29. *a Collection of Law in 3. Bocks* in 4. 30. *an Answer to Robinson the Brownist's arguments.* in 4. 31. Joannis Sonibanck Orationem funebrem in obitum Reginæ Elizabethæ A. 1603. in 4. 32. *a Dialogue between a Scholar a Gentleman and a Lawyer concerning the Earl of Leycester with an Epistle to G. M. 1584.* b. a. *Treatise of the Succession of the Crown Imperial of England made by J. Halles and briefed by A. G.* in 4. 33. *a Discourse of the way to Bliss.* in 4. 34. Lectiones variantes in Valerio Maximo e Cod. MS. Collegii Magdalenensis Bibliothecæ erutas. in 4. 35. Joannis Hanwill seu Hanuvillensis Architrenium (p). in 4. 36. Maimonidis Tractatum de Primitiis, Latine in 4. 37. a De peccatis infirmitatis & voluntariis. b. Paraphrasin in Caput VI. Epistolæ ad Hebræos. in 4. 38. Expositionem brevem R. Shelmonis Jarchi in

(p) *Architrenium* vel *Archithrenium* est titulus poematis, novem libris distincti, ac inter Anglos satis celebris. Nomen ei, teste LELANDO, inditum est ab insigni lamentatione (a threnis vel lachrymis), h. e. flebilium quasi summe flebile carmen. vid. b. J. A. FABRICII Biblioth. mediæ & infimæ Latinit. Vol. IV. p. 236. sq.

in Canticum Canticorum, Latine per Davidem Stokes. in 4. 39. a. *an humble Essay toward the Settlement of peace and Truth in the Church as a certain foundation of lasting union.* in 4. b. Regis Responsionem libello inscripto: Declaratio & Remonstrantia Procerum & Communium. c. Henrici Hammondi de Conscientia Tractatum, Latine. d. Ejusdem Librum de resistendo legitimo magistratui sub prætextu religionis, ut & Dissertationem de voce *χρίσμα*, Latine. e. Specimen amplum Codicis pervetusti Græci, characteribus uncialibus scripti, & Evangelium secundum Lucam complectentis, cum ejusdem speciminis interpretatione, litteris minusculis e regione positis. aliaque. 40. Locos theologicos duabus partibus. Pars I. theologiam didacticam, pars II. elenchticam exhibet. in 4. 41. a. B. Augustini Sermonem de beato latrone. b. Ejusdem Libr. de adaptatione decem plagarum contra decem præcepta. c. Ejusdem Libr. de prædestinatione divina. d. Ejusd. Libr. de patientia. e. Ejusd. Libr. de Symbolo. f. Ejusd. Libr. de assumtione. g. Ejusd. Tract. contra epistolam fundamenti Manichæorum. h. Ejusd. Libr. ad amicum contra Manichæos de utilitate credendi. i. Ejusd. Tract. de agone Christiano. in 4. 42. De statu Reip. Fœderatorum Belgarum Commentariolum. in 4. 43. Librum precum, hymnorum & Psalmorum. in 4. 44. Alexandreidos

dreidosLibros decem cum epiſtola dedicatoria R. BARKERI Principi Henrico A. 1610. in 4. 45. Dr. HAMMOND *on the new Teſtament.* in 4. 46. Officiorum divinorum Librum. in 4. 47. Miſſale. in 8. 48. Britanniæ Hiſtoriarum per Galfridum Monumethenſem Codicem in membranis, ſed mutilum ad calcem. in 8. 49. Supplementa Juris orientalis Enimundi (forte Edmundi) BONEFIDII e Codice Amerbachiano Academiæ Baſileenſis eruta. in 8. 50. Joannis Hannuwilenſis Architrenium, Codicem vetuſtum membr. nitide ſcriptum in 4. 51. Ejusdem Libri aliud exemplar recens. in 4. 52. *a Diſcourſe of Fortification.* in 8. 53. a. De ſummo Pontifice Controverſ. b. Reſolutionem quorundam dubiorum circa communicationem cum hæreticis in Anglia in templis, & aliis rebus &c. in 12. 54. Τȣ ἐν ἁγίοις ἱερομάρτυρος Ιγνατίȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Ἀντιοχέιας ἐπιςολάς. in 8. 55. Syſtema mathematicum. 56. a. *Directions from the King to the Univerſity of Cambridge.* b. Orationem habitam in domo convocationis Oxon. d. 29. Maj. *A.* 1620. cum JACOBUS Rex opera ſua Academiæ dono dedit. c. Orationem funebrem in occaſu Joannis PRIDEAUX, Epiſcopi Vigornienſis. Præter cætera continet hoc Volumen libellos aliquam multos ſupplices, orationes & litteras plurimas, aliaque non pauca, ad hiſtoriam Anglicanam ſpectantia. in fol. 57. Vitam Griffini, filii Conani, Regis

Ve-

Venedoliæ vel Northwalliæ. 58. Francisci PETRARCHÆ Invectivarum Lib. IV. 59. Directorium secundum usum Sarum, i. e. Sarisburiensis Ecclesiæ. in 12. 60. BVLLI Defensionis fidei Nicænæ Fragmentum.

Brianus BROUGHTON, LL. D. & Collegii omnium animarum Socius, Xystis Bodlejanis dono dedit Martini LUTHERI effigiem. Sed de his jam satis.

XXXVIII.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Sæpius ad te scribo, Vir Generosiss. nec sine tui forsitan tædio, at meo semper cum fructu; immo ad te nunc litteras exaro, nocturno tempore ac somno premente oculos, quem jucunda tui recordatione pello. Impense lætor, non ingratos fuisse libellos Arabicos, nec inutilem visam operam, manuscriptis codicibus tuis impensam, quam & alia in volumina, nuper transmissa, ex tuo mandato inferam. Neque opus, vel gratiarum actionis meminisse, cum tanti ad me redierint fructus. At illud omnem propemodum benignitatis modum superat, alios offerre libros, in meorum familiam adsciscendos. Ægre nunc saltem pareo, Vir summe, quamvis in ceteris omnibus longe sim obse-

quen-

quentiſſimus. Humanus nimium es; at me non decet eſſe ruſticum. Tu liberalis; ego non avarus, quippe qui alienis minime inhiem. Quin & , quos nominaſti autores, jam poſſideo omnes, ſola bibliotheca Hiſpanica doctiſſimi SCHOTTI excepta, quam ut ad tempus fruendam concedas (reddam namque) vehementer rogo. At ſi geminum ejus tibi ad manus eſt exemplar, ut parata pecunia alterum eorum mihi concedere velis, non minori ſtudio expeto. Neque enim video, qua ratione foliorum aliquot loco vaſtam bibliothecam exigerem, niſi permutatione quadam Glauci & Diomedis. Quæ circa libros tuos manuſcriptos mones, diligenter curabo. Catalogum manuſcriptorum bibliothecæ tuæ olim edendum, diverſis Maimonidæ lectionibus, ex aliquo voluminum tuorum ad marginem editionis meæ adſcriptis, augere poſſum, ſi volueris; nam & ego inſtitutum eorum tecum damno, qui ob unam alteramque variantem voculam longiorem concinnant librum, quam ſint duo Cæſaris AntiCatones. Idem, puto, cum adnotamentis faciendum eſtGolianis; verum de his tu optime judicaveris. Quam ſuavia ſunt, quæ de HUDSONO, CRABIO & HEARNE narras! medius antea mihi ignotus, nunc ad vivum tuo penicillo delineatus, gutture patulo, ſtomacho ſitiente, manu avida, plane

O mon-

monſtri inſtar horrendi. Tertii eruditionem non prorſus ignoravi, prioris quoque humanitatem ex iis didici, quæ V. C. FABRICIUS noſter in Biblioth. Græca (quo tamen loco, non ſuccurrit) retulit. Indicem rariorum librorum Rabbinicorum lubens conficiam, ſimulac otii aliquid nactus fuero. Vah! quanti me æſtimas. Non ſatis eſt tibi, quos habes, libros uſibus meis committere, ſed & quos non habes, in mei gratiam, ſimul & librariæ ſupellectilis tuæ ornamentum, acquirere ſtudes. Nil habeo; Vir Generoſiſſime, quod tui memoriam æternitati conſecrare poſſet, niſi publicam privatamque Tui deprædicationem, in qua quam ſim aſſiduus, mallem ex aliis, quam ex me audias; leges etiam ſuo olim tempore. Ego nil æque curo, quam tuam mihi gratiam conſervare integram, tibi vero iſta adprecari omnia, quæ genus tuum, virtus & induſtria merentur. IV. Kal. Nov. 1713.

XXXIX.

JO. HENR. MAJUS FIL.

WIEGERI noſtri litteras & librum accepiſſe te credo, quibus comitem dediſſem & ego epiſtolam, niſi: Quid, inquies,

es, Nisi? Non celabo Te. Nisi strenua me exercuisset inertia. Quid enim aliud sunt, quæ nos Grammatici agimus, quam otiosorum negotia? Venit ad me SCHOTTUS, cum universo Iberorum adparatu librario, & tuo quidem beneficio venit. Nondum scio, qua conditione habeam, id scio, me nunc illo, te concedente, uti frui. Interea inter meos retuli libros, vel perpetuo illic mansurum, vel ex tua voluntate ad pristinam sedem evocandum. Quod si debitorem me tibi fecisti, sed adhuc inscium, lubens ero, quum jam tot nominibus me tibi debeam totum. Manuscriptos tuos codices ad hanc usque horam attento animo lustrare, datum non fuit. Requiescunt in pace, usque dum, vere adpropinquante, novus calor pectus invadat. Catalogum librorum Rabbinicorum proxime conficiam, mihi crede; absit enim, ut studio te decipere cogitem, aut fidem datam fallere. Vellem alia scribere, si præsto essent; & desiderio nunc teneor, tecum confabulandi, nullis laboribus pressus. Verum obstat materiæ paupertas, imo egestas, fastidio nostro juncta. Quis autem ferat in egestate fastidium? Pareamus igitur fortunæ, & valeamus. Giessa VI. Iduum Novembr. cIɔ Iɔcxiii.

XL.

JO. HENR. MAJO FIL.

Bibliotheca SCHOTTI integra minimum tuorum librorum, quibus me beasti, minime æquat, si non alia (ne iterum blanditiarum metus Tibi suboriatur) de causa, hac saltem, quod a te ipso, imo ex te ipso profectum, cum mea munuscula nullo pene labore, parvoque ære constent. Igitur nisi bilem plane movere velis, Bibliothecam Hispanicam non solum Tuæ citra ulteriores verborum ambages inseres, sed & alios, quos mihi ob duplicem copiam supervacaneos esse indicabo subinde, libros posces libere. Lutetia Parisiorum inter alios hac septimana accepi librum Psalmorum ex Arabico idiomate in Latinum translatum a Victorio SCIALAC, & Gabriele SIONITA, Romæ 1614. Arabice & Latine, forma vero, quam vocant quartam, editum. Quæro igitur, an illo forsitan careas? verbulo responde, nisi plaustra verborum, imo integram acerbamque in nimiam tuam verecundiam declamationem, spretis præscriptis nobis invicem legibus, exspectare velis. Ne jam quoque prodigum nimis in verbis, dicere queas, ad ea, quæ de Rabbinicorum librorum indice, in tui etiam commodum conficiendo, rescribis, nil respondeo, nisi

me eum, quam primum tibi vacaverit, expetere. Si Magicorum etiam scriptorum (quorum tantum in superstitiosissima gente numerum extare probabiliter asseris) quædam, quæ Tibi, Vir eruditissime, innotuerunt, adnotare velles, operam haud inutilem præstares. E medio enim sacrilegisque manibus tollerentur, atque ab amicis adhiberi possent ad convincendam pessimam gentem, quæ horum copiam negat, celatve, nefandum vero usum pertinaciter inficiatur. Accepisti procul dubio, quæ in terris Onolsbacensibus horrenda crimina detecta nuper fuere; ast nescio, an scriptum videris, quod in eadem causa sub hoc titulo prodiit: *Nachricht von dem bey Hirsch Franckel gewesenen Rabbiner, der in Hochfürstl. Brandenburg-Onolzbachischen Landen angesessenen Judenschafft angetroffenen Superstitiosen, oder, wie es die Juden nennen, practice Cabalistischen, auch andern Christi der Welt Heyland göttliche Ehre, und das gantze Christenthum entsetzlich lästernden geschriebenen und gedruckten Büchern: samt angefügtem nach absolvirter Inquisition, von denen Theologischen und Juristischen Facultaten zu Altdorff darüber ausführlich ertheilten responso, wodurch dieser Jud zur ewigen Gefangenschafft verurtheilet worden. Onolzbach.* Fol. pag. 38. Monstravit id amicus, quem rogavi, ut duplex ejus comparet exemplum, unum meis servandum usibus, alterum Tuis conce-

dendum. Evasit isthinc, latuitque in hac nostra civitate unus e complicibus, qui condignas etiam pœnas daturus fuisset, nisi a malevolis proditoribus monitus ante excessisset, quam in nexum, nervumque dari potuisset. Adderem nunc quædam de Manuscriptis, quæ hisce diebus obtigerunt mihi; cum vero jam nimium excreverit Epistola, in aliud tempus differam. Nolim tamen te latere, fuisse etiam inter illa decem Hebraica volumina, in membranis exarata, a duobus recutitis allata. Facit lucelli cupido, ut a remotis etiam locis omni studio talia conquirant, certatimque asportent. Doleo, me ante concremata Judæorum latibula non plures codices redemisse, qui maxima in copia flammis periere. Spes tamen certa mihi est, me copiosam horum Bibliothecam, favente Deo, adhuc compilaturum, quæ Tuis potissimum usibus, quod unice impenseque gaudeo, devota semper erit. d. xi. Nov. 1713.

XLI.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Scire desideras, num mihi sit Psalterium ex Arabico idiomate in Latinum per Victorium SCIALAC & Gabr. SIONITAM

translatum. Reſponſum unica voce jubes abſolvendum. Pareo lubens. Attende itaque. Reſpondeo, quod NON. Aliud eſt, an te privare velim illo; cavendum enim, ne ex amico fiam mendicus. Quodſi placuerit tuæ Generoſitati, Græcos ſcriptores, quorum tibi gemina eſt copia, vel emtionis vel permutationis titulo, concedere, gratiſſimum foret. Quamvis, quod ad permutationem attinet, ea vix ſperanda ſit, cum aut nullos poſſideam ſupernumerarios, aut tales, quos tuæ bibliothecæ dedecus fore conjicio. Quæ de Onolsbacenſibus Judæis narras, ad meas nondum pervenerunt aures, uti nec ſcriptum hanc in rem editum, cujus videndi deſiderio teneor. Habes hic rariorum quorundam librorum Rabbinicorum catalogum, ad tuam voluntatem confectum, & pauciſſimis magnitudinis enormis oneratum voluminibus; plerique omnes quartam occupant & octavam librorum formam. Ex rarioribus rariſſimos adjecta nota ſignavi; pronunciationem vel titulum potius librorum, ad os Judæorum compoſitum, Latino charactere expreſſi. Feliciſſimum te prædicabo, ubi vel tertiam eorum partem fueris conſecutus. Magici libri pauci ſunt impreſſi, latent, ſi tres quatuorve excipias, in veſanæ gentis poteſtate, unde nec prece nec pretio erui poterunt; aliquos paſſim indicavit EISENMENGERUS.

Primus & ultimus in hoc catalogo ad eundem pertinent censum. Kabbalisticos vero libros vix adnotavi, cum quod grandiores sint, tum utrique nostrum sane inutiles. Præstantiores quosdam manuscriptos annotare pariter dubitavi; aut enim incognitos sibi, fatebuntur Judæi, aut in orbe exstare negabunt, eos cumprimis, quos contra fidem Christianam evomuerunt; immo apud plebeios Judæorum frustra tales quæras; Rabbini soli possident. Ceterum, succenseo negotiis meis, a perlustratione manuscriptorum tuorum non modo me prohibentibus, sed & negligentiorem in respondendo facientibus. Dabo tamen operam, ut me admodum otiosum credas, neque posthac committam, ut de mea segnitie conqueri possis. Paucis: eadem hebdomade semper rescribam, qua tuas accipio. XVI. ante Kal. Dec. 1713.

XLII.

JO. HENR. MAJO FIL.

Psalterium Arabicum data occasione habebis, uti etiam Græcos scriptores, quorum duplex mihi copia fiet. Rabbinicorum librorum Indicem, ob cujus confectionem Tibi gratias debeo, Judæo dedi, qui avide excepit, plurimosque ex illis se

ſe comparaturum promiſit. Attulit is mihi, præter magicos quosdam iterum libellos, Codicem membranaceum, ſi fides ipſi habenda, eximium. Inter alia enim duo quoque Maimonidis opuſcula, eaque, ut ſancte aſſeverabat profanus, adhuc inedita complectitur, ut plenius ex inſerta ejus ſchedula cognoſcere poteris. Magno ſatis pretio redemi, ea tamen lege, ut redhibere integrum ſit. Demiror meam in potiundis Hebraicis codicibus fortunam. Utinam vero pari liberalitate Græcos Latinosque auctores offerret! Novi multos hinc inde privatos intra parietes latere, qui poſſeſſoribus parum utilitatis ac gloriæ afferunt, Bibliothecis, eruditorumque uſibus potius concedendi. Memini, Dn. LANGIUM olim retuliſſe, Cornelii Nepotis Codicem apud quendam honorifici ordinis veſtri virum extare, quem ſi indagare, honeſtoque pretio comparare poſſes, grande utique officium præſtares (q). d. 25. Nov. 1713.

(q) Nactus eſt illum Codicem VFFENBACHIUS, ejusque notitiam dedit in Bibliotheca ſua MSSta, Part. IV. col. 220. ſq.

XLIII.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Catalogum librorum, a me confectum, tuæ Generositati non ingratum fuisse, libens intellexi; atque nunc demum placere mihi incipit, quia tibi placuit. Magis, arbitror, gaudebis, libros ipsos consecuturus olim, tuæ bibliothecæ ornamento, mihi futuros usui. Manu exaratos codices nactus es optimos, si schedæ habenda fides. Thesaurus est, non liber, MAIMONIDES, cujus profecto in DCXIII. præcepta Judæorum haud exstat commentarius, quem tibi, Vir Generosissime, obtigisse, communi quippe litteratorum Mæcenati, ex animo gratulor. Miror una tecum benignitatem fortunæ, Manuscriptos Ebraicos obtrudentis potius, quam offerentis; ne millesimo data est hæc felicitas, quam providus naturæ genius ceteris ornamentis tuis adjecit. Audio, Butisbaci D. Klozium asservare bibliothecam magni DIETERICI nostri, scriptoribus quibusdam rarioribus, & Græcis potissimum, superbientem; vidi enim aliquot abhinc annis ejus catalogum. Sed nimium iniquus possessor est, advenis non recludens Dietericianas opes. Additæ dicuntur illis quamplurimæ schedæ, (hic enim mos erat scribendi a DIETERICO

usita-

usitatus) dignæ omnino, quæ alium inveniant herum. Quæ de Cornelio Nepote exposuisti, adhuc mihi fuere incognita; quamprimum cum LANGIO nostro colloqui datum fuerit, nec inquirere desinam eum, qui ex ordine Philosophorum adservet, nec tuum fieri, quantum potero, intermittam. Kal. Dec. 1713.

XLIV.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Ex his, quæ de te audio, magnam concipio tristitiam. Æger es corpore, & cum adversa valetudine dies dividis, immo totos illi relinquis. Graviter molesteque fero calamitatem ejus, quem ut amicum colo, & cui vel publicæ salutis causa perpetuam adprecor felicitatem. Doloris mei vehementiam inde conjicias, quod ad te, Vir Generosissime, scribere non dubitaverim, etsi vires tibi nondum integras esse, cognoscam. Impossibile vero est vivere, & tecum non versari; volo enim utriusque fortunæ tuæ conscius esse. Solatium ad te fero nullum, siquidem multum tibi esse animi scio. Nam & antequam morbo adsignatus esses, contra insultus te omnes parasti, & multo magis, postquam cum illo conseruisti manum. Ejus

tamen

tamen vires ut posthac experiaris nunquam, a Deo non desinentibus votis orare pergam. Interea, dum corporis tui mala adfectio tacere te jussit, novum annum commutavimus cum vetere. Nequeo amplius precari, ut bene vertant Kalendæ Januariæ: at precor, ut illæ bene vertant tibi, quæ meo nomine adpellantur. Responsum ordinis Jurisconsultorum in Academia Norica adversum Judæos Onolsbacenses dono mihi dedit amicus: quare non opus, ut, quod, more tuo, benigniter promiseras, de eo in mei usum comparando, sis sollicitus. Excusus est Francofurti apud Andream liber primus Mosis Ebraice, cura M. BURCKLINII, qui litteras heic docet orientales, ut privatus doctor. In novæ hujus editionis præfatione mentionem fecit Generosissimi nominis tui, laudans fragmentum illud Bibliorum Ebraicorum, quod una cum Manuscriptis tuis aliis nuper ad me mittebas. Communicavi Burcklinio nostro codicem illum, sed ad breve tempus, neque te, opinor, invito. V. Id. Febr. 1714.

XLV.

XLV.

JO. HENR. MAJO FIL.

Quum de constanti nec infucato meo in te amore dubitare, ut spero, minime potueris, parum aberrasses, si ex alto eheu! silentio in campos Elysios me evasisse conjecisses. Omnia sane media, quæ Chiron, Hippocrates, Galenus, hujusque filii cum nova *Philosophi per Ignem* secta unquam excogitarunt, quibusve, ut miseros ad vitam beatam promoveant, Medici præsto esse solent, adhibita fuere. Videlicet ἄνω καὶ κάτω (medice, hoc est, sine venia atque verecundia loquor) purgantia, clysteres, sanguinis missio, sanguisugæ, unctiones, frictiones, & centum alia, ut pharmaca omnis generis Galenica & chymica taceam, ne nauseam & tibi & mihi moveam; alias indicem illorum amplissimum, una etiam cum pretiis, quem pharmacopœus, cui ex re qualibet bonus odor, summa cum voluptate confecit, describere possem: Ut tribus igitur verbis absolvam, alterum jam pedem in cymba Charontis habebam. Ast retuli illum, dum extremi spiritus Tui, Amicorum dilectissime, memoriam refricarent, admonerentque, me ultimum Tibi *Vale*, quod indecorum maximo fuisset, haud dixisse. Piaculum enim duxi merito, si, Te, quem tantope-

re

re veneratus sum, insalutato, ex misera licet hac vita excederem. Alias, quod Martialis inter ea, vitam quæ faciunt beatiorem, ultimo ponit, in primum jure locum semper retuli: *Summum nec metuere diem, nec optare.* Postquam vero, ut remotis nugis jocisque nunc tecum loquar, divinæ, quam gratus veneror, providentiæ placuit, vitam prorogare, in animum induxi meum, de ejus fragilitate cogitare serio, tibique amico dulcissimo, ac fratri germano meo eorum, quæ post suavissimam conjugem liberosque carissima relicturus sum, curam committere, librorum scilicet meorum. Quam pro singulari Tuo in me illosve amore eo lubentius suscipies, si tibi in aurem dixero, quæ apud animum meum statutum eo. Videlicet ut librorum selectus fiat, præstantiores una cum manuscriptis Codicibus omnibus, in omnium bonorum usum, & aliqualem mei memoriam asserventur, reliqui partim in Belgio, partim etiam hic in liberorum solatium atque emolumentum venundentur. Id vero, quod unicum oblectamentum fuit, quodve thesauri instar habui, si Deus filium non det, vestræ academiæ in perpetuos usus concredere animus est (r). Quod equidem consilium non parum fir-

ma-

(r) Beatum Virum animum deinceps mutasse, notum est.

mabit tot amicorum, optimorum virorum, quos nunc alit, amor, atque existimatio. In quorum numero cum te, Vir celeb. atque humaniss. inter primos ponam, imo unice unum colam, summum utique solatium esset, si per tuas charissimas manus, quidquid foret, si fata ita voluerint, deferretur, atque publico usui consecraretur. Hæc tibi credere non dubitavi, quæ tibi etiam dicta putabis, ac approbabis. Hac spe fretus, minime etiam metuo, te longiorem librorum bono cum Deo usum mihi invisurum esse. Longe enim aliter tua humanitas, tua benivolentia, tuus denique in me amor de te cogitare jubet. Longissimam potius a te mihi vitam optari persuasissimum habeo, teque ardenti etiam commiserantique animo, quæ mala me de ea hactenus periclitari fecerunt, percepturum. Accipe igitur, Amice mellitissime, & occasionem, & malum ipsum. Nimirum haud vanus pestiferæ luis metus nostræ Reipublicæ Magistratum commovit, ut probis viris examen Peregrinorum, seu peregrinantium, urbem intrare gestientium, hactenus demandaverit. Quam curam, mihi quoque impositam, ut bonum civem decet, sæpius lubens, licet non sine molestia, in me suscepi. Quum itaque ultima vice gererem, nono videlicet mensis Decembris anni elapsi, (die infausto, atroque carbone notando) insaluberri-

berrima aëris erat temperies, nebulosa scilicet caliginosaque, quæ non solum, sed & intensissimus calor, quem in mala militum mansione, ubi degendum mihi quoque erat, traxi, catarrhalem primo febrem intulit, quæ redundante bile in continuam mutata est, quave integros duos menses mihi laborandum fuit. Multa sane tuli, nil feci, (quod licet cognomen Ludovicus Balbus Imp. ut scilicet *Ludovicus Nihil fecit* vocaretur, gesserit: videsis DU FRESNE Gloss. Med. Lat. P. II. fol. 739. tantum tamen abest, ut ambiam, ut hæc inertia potius majus ipso morbo malum mihi fuerit) sudavique, algentibus proh dolor! Musis meis. Grave etiam fuit, quod dulcissimo tot amicorum colloquio per meum silentium culpamve carendum erat. Tuarum inprimis litterarum, Vir humaniss. desiderio exarseram, quod ultimæ tuæ, quibus tam amanter sortem meam doles, restinxerunt, ad quas nunc respondebo, si priores tuas primum attigero. Voto, quod in his de adipiscendis, quos benevole notaras, libris concepisti, respondit fortuna, Tui meique favore, ut illorum jam XIX. nactus fuerim. Quos tamen jam, ne nimium excrescat epistola, non designabo, sed reservabo proximis. Quæ de celeb. DIETERICI Bibliotheca narrasti, pergrata fuere; doleo tamen tecum, quod a tam moroso possessore premantur tanti viri exuviæ. Obsecro vero te, Vir humanissime,

ut

ut invigiles, ac in tempore moneas, si forsan illius morte liberari queant. Nunc ad postremas tuas accedo, tibique pro commiseratione piisque votis gratias ago quam maximas; impleat hæc benignissimum Numen, tibique faustissima quævis evenire, reliquumque decurrentis anni, quod illo ineunte in pectore, cum nec scripto, nec ore, more solito poteram, precatus sum, ex voto fluere sinat. Altorfensium Responsum te jam dudum accepisse, bene est, quod ni morbus prohibuisset, jam dudum a me habuisses. Aveo autem ex te cognoscere, quid de eo censeas. Mihi certe dura nimis visa est sententia, cum nullius criminis reus sit Apella, quam inanis, gentique ipsius superstitiosissimæ innatæ, propriæque curiositatis atque vesaniæ. Obiter hic moneo, me hactenus plus decem, & manu, & typis exscriptos Cabbalæ practicæ, quam vocant, libros, ob quorum studium miser ille damnatus unice videtur, accepisse. Quod Dn. BURCKLINIO (quem una cum cæteris amicis nostris communibus, quorum numero & illum, cum Tuus sit, non invitus adscribo, salutabis) codicem Bibliorum (s) concesseris, tantum abest, ut

 im-

(s) Feliciter Codicibus MSStis Biblicis Vffenbachianis usus est M. Georgius Christi-

improbem, ut potius gaudeam, si sibi publicoque non inutilem deprehenderit. Inter plurimos, qui novissime meis accesserunt, codex est insignis & magnitudinis, & (si maculas, quas ex horrendo, quod Judæi perpessi nuper sunt, incendio hinc inde contraxit, excipias) elegantiæ, non deterioris etiam forsitan notæ, qui sequentia complectitur: 1. Pentateuchum. 2. Canticum Canticorum. 3tio loco sunt varia capita excerpta ex Prophetis potissimum,

---

stianus BURCKLINUS ad editionem Bibliorum Hebraicorum adornandam, quæ Francofurti ad Moenum, directore D. Jo. Henrico MAJO, Patre, A. MDCCXVI. in forma quadrifariam dispertita prodiit. Ita enim laudatus MAJUS in præfatione inter reliqua: *Commodum quoque & exoptato accesserunt diversi Codices MSS. ex Bibliotheca instructissima, & nulli secunda, Generosissimi Dn. ab VFFENBACH, quos inter unus cumprimis, ordine VI. venerandæ vetustatis, ætatem quippe septem fere sæculorum præ se ferens, accurata elegantia illustris, continens libros S. Codicis historicos, propheticos, ac reliquos ordine omnes ad finem usque, scriptus singulari industria cum punctis vocalibus, accentibus, ac tergemina Masora, memorandus venit; de quo plenius referet Filius meus in recensione Bibliothecæ Vffenbachianæ, quoad Hebraica & Græca volumina.*

mum, & aliis libris Vet. Test. 4to. atque postremo Jobus integer, non ut in typis exscriptis Bibliis una serie extare solet, sed in versus suos distinctus. Quodsi res integra sit, & forsan hic quoque liber BURCKLINIO adhuc utilis esse possit, vel si in appendice varias ex illo lectiones, vel alia observatu digna suæ editioni, nondum, ut audio, absolutæ, attexere voluerit, illico transmittam. Sunt mihi adhuc quam plurimi codices Biblici, qui utinam brevi cum reliquis omnibus excuterentur! Sed cum tibi, Vir celeb. nimium facessat negotii, importunusque forem, si a te solo requirerem, cum Codicum meorum Ebraicorum numerus, mirare fortunæ meæ benignitatem! ad LIX. jamdum excreverit, indiesque, ut spero, accrescet, res gratissima sane mihi foret, si & Dn. BURCKLINIUS quosdam evolvendos in se suscipere vellet. Nemo enim heic loci est, a quo id requirere, vel impetrare possim, vetante vel hominum ignavia, vel exili, licet summam præ se ferant, linguarum orientalium notitia. Facile autem concipis, quanto ardore expetam, quantumve mihi intersit, ut illorum Codicum cognitionem, vel notam adipiscar censoriam. Certe tum demum de illorum possessione gaudere potero, si de qualitate, bonitateve eorum, cum ipse, proh pudor! in hæc mysteria inquirere non valeam, edoctus fuero.

P 2 Nec

Nec ingratum plane, aut improbum laborem reputabit BURCKLINIUS, cum potestatem una tribuam, quælibet, modo non in privatum saltim usum, sed publicum etiam fiat, exscribendi. De hoc tamen proposito, an scilicet, cum ignotus mihi plane sit, communicare debeam, tutoque queam, Tuam, Vir humanissime, mentem libere explices, rogo. Unicum adhuc restaret, ut tibi videlicet gratias pro transmissa Mechanici Norimbergensis schedula, Fratri gratissima, agam, quas etiam & meo & ejus nomine Tibi habeo; sed dimittendus mihi nondum es, licet epistola jamdum modum excesserit. Cogita, quæso, quam diu silendum mihi hactenus per incommodam valetudinem fuerit; compensationi igitur locus sit. Nec ægre feras loquacitatem, a qua mihi hac vice temperare nequeo; &, si molestior accidat, in tot vices lectionem harum dispesce, quot a me epistolas tanto tempore, quod perdidimus, exspectare potuisses. Ast dum prolixitatem excuso, prolixior fio: paucis igitur, quæ reliqua sunt, absolvam. En tibi Indicem auctorum veterum Græcorum & Latinorum, qui mihi in duplo sunt. Nuper enim, si recte memini, talium desiderium exposuisti. Notabis igitur, quos habere aves; et, si omnes expetieris, ad unum etiam omnes habebis, pretio haud iniquo, hoc est, plane nullo.

Cave

Cave autem, ne, quæ Tua eſſe ſolet verecundia, unicum omittas, qui tibi uſui eſſe poſſit. Si tergiverſeris, bilem commovebis, quæ cum nuper tam diris me modis vexaverit, imo excruciaverit, ipſe cogita, quantis malis, ſi recrudeſceret, amicum tuum exponeres. Accedit, quod tanti non ſint, ut ex ære tuo liberare me queant. Cogitabis tamen, quod, juxta proverbium, antiqua debita ſæpenumero ſtramen penſet. Accipe igitur paleas, ne malum tibi nomen maneam. Utinam & plurimum Venerando Parenti, quem ſalvere jubeo, debitum ſolvere, vel ſaltim animum monſtrare gratum queam. Sperabam nuper, cum celeberrimus Dn. SCHUDTIUS, Sandiusque noſter in libellum PISETZCKII a Kranichfeld apud me inquirerent, me inſerviendi occaſionem nactum eſſe. Aſt fefellit opinio, cum alia duo opuſcula fuerint, quæ, ab eodem auctore profecta, Bibliotheca mea ſervat: videlicet, Diſſertationum aliquot Juridico-Politicarum Faſciculi, ſtatum politicum & bellicum concernentes, nimirum de Indictione belli per Feciales, Bello, Induciis &c. Alterum: Diſſert. Theologico-Juridico-Hiſtorico-Politica, in qua firmiſſimis rationibus oſtenditur, atque demonſtratur, Religionem vi, carcere &c. aliisque violentis remediis propagari non poſſe. Utrumque Francofurti anno 1672. in forma, quam

 vo-

vocant, duodecima prodiit. Quæ licet gravissimo operi, quod Deus feliciter finire sinat, haud inservire queant, ideo tamen de iis monendum duxi, ut meam saltim voluntatem testarer. De cujus constanti in Vos, o charissima capita, propensione securi, certissimique vivite, atque valete. Deblaterabam apud Francofurtum Moeni die XVII. Febr. MDCCXIV.

P. S. Quæ in adjectis schedulis notavit Judæus, nuper mihi vendidit, magnique præ aliis fecit, quare tuum de illis judicium expeto. Tanta est tuarum expectatio, ut tot, quot requiruntur, dies vix ferre desiderium possim. Ne igitur retardes, quæso, similique, quo ego hic usus sum, modulo metire.

XLVI.

JO. HENR. MAJUS FIL.

Cresco, & exsulto, & liquida me totum perfundi sentio voluptate, dum sanitati redditum recordor illum, quo ægrotante & ipse animo fui æger. Quam sollicitus de te, Vir Generosissime, idemque amicorum optume, fuerim, multis indicare nolo, ne quid auribus tuis dare videar. Loquatur, si vis, mei loco Raum-

Raumburgerus, teſtis et index utriusque valetudinis tuæ, cui in mandatis dedi, ut, quamprimum te melius habere occiperes, nunciaret, quo pietatem erga te meam teſtari poſſem. Dolui vices tuas (Deum teſtor) ex animo, atque nunc, lectis jucundiſſimis litteris tuis, plane cohorreſcit corpus meum. Itane fas eſt, carnificum eruditorum manus tam ſævo experiri modo illum, qui rei litterariæ opem fert maximam, ſine vi & ferro? Gratulor utique tibi, tanta moleſtia liberato, atque id unicum voveo, ut pugilice poſthac valeas. Mihi vero impenſe ſimul gratulor de reddito tanto fautore, cujus benignitatem etiam inter morbi tormina creviſſe intelligo. Neſcio ſane, quales tibi agam gratias; adeo inſignia ſunt, & illuſtria tua erga me promerita, quæ augere ſtudes, demandando mihi una cum Fratre tuo Germano curam partis bibliothecæ tuæ. Anxius hæreo, mihi crede, non ſatis, quid reſcribam, gnarus. Hinc me magnitudo benevolentiæ tuæ, illinc triſtis memoria obitus tui premit. Vellem, nunquam ad me perveniret provincia iſta, ſed ultra ætatem meam, annosque, etſi innumeros, excurreres ſalvus atque incolumis. Numeroſam inſuper liberorum prolem, & filios maxime tui ſimiles, contingere tibi, toto pectore precor; quum longe mihi jucundius futurum ſit, aliquam conferre

 filio

filio tuo in addiſcendis linguarum Græcæ & Ebraicæ elementis operam, quo theſaurum, quem poſſeſſurus eſt, æſtimare poſſit, quam libros curare, tanto abs te opere amatos. Quodſi vero hæredes maſculos donare tibi Deus O. M. noluerit, tibique, Amice colende, ea fuerit mens, ut, quod oblectamentum tibi fuit, quodve theſauri inſtar habuiſti, Ludovicianæ noſtræ teſtamento legare conſtitueris, ut tuam adprobem ſententiam, neceſſe omnino eſt, utpote qui ipſe decreverim, librariam meam ſupellectilem, qualis demum cunque fuerit, eidem Academiæ committere, ubi ſine liberis & uxore diſceſſerim, quod procul dubio fiet. Neque enim omnibus contingit ea matrimonii felicitas, qua Tute, VFFENBACHI, Virorum præſtantiſſime, frueris, neque ea me dignum pronuncio, neque temere exſpecto. Bibliothecarum in civitatibus imperialibus publicarum fatum eſt peculiare, ut a pauciſſimis viſitentur, iis maxime, quibus quaſi domeſtica eſt. Dic, cui proſint Ludolfiani libri, quos nemo in urbe veſtra aut legere aut intelligere poteſt? Hi, ſi in Academia quadam repoſti eſſent, ſemper haberent & admiratores ſuos & lectores. Quare bene factum a Senatu Lipſienſi, quod WAGENSEILII manuſcriptos codices ſuæ vindicaverit bibliothecæ, qui, ſi in Noribergenſem perveniſſent, eodem

cum

cum cæteris fruerentur fato; neglecti jacerent & dissipati. Consideremus legatum Scaligeranum, quod Leidensis adservat bibliotheca, cui non illud prodest? Vix prodit auctor aliquis sive Græcus, sive Latinus, qui non componatur cum manuscripto quodam Scaligerano. Quam ob rem, uti novum prorsus esset factum tuum, ita laudibus & panegyrica oratione exciperetur, duraretque memoria tua non Francofurti solum, sed heic loci, in animis sermonibusque doctorum ad rerum usque æternitatem. Semper enim erit aut Historicus aliquis Professor, aut Philologus, aut Litterator, qui, dum tuos libros volvit, tui quoque recordabitur. Potissima vero causa, ob quam & tale quid cum reculis meis decreverim, &, ut facias ipse, Vir amicissime, vellem, hæc est, quod nullus magis sit aptus locus voluminibus atque libris Academia. In hac plerique omnes aut concipiuntur, aut excuduntur, ut merito ad eam redire debeat, quod inde venit. In civitatibus aliis, qui libros lustrant publicos, peregrini sunt homines, ad dies, hebdomadas, aut menses in urbe degentes. At vix tantulo spatio excuti potest liber integer, & describi in usus publicos, nisi perbrevis existat. In Academiis per vitam hæret integram Professor, familiaritatem init cum libris intimam, atque ab his ægre divellitur; sic,

ut occasionem habeat, temporisque opportunitatem, vastissima etiam edendi volumina. Verum hæc longius persequi nolo, ne tuis opibus inhiare videar. Iterum ego, iterumque testor Deum, malle me vel tuis adjicere libris meos, quos habeo, omnes, quam illum vivendo attingere diem, qui mortem tuam, o dulce decus meum! nunciet. Non est mihi in terrarum orbe, si a patre abiero, amicus, quem ita, ut te, venerer. Non igitur putabis, me ægro laturum animo, si thesauri possessor fueris diuturnior. Paratus sum, ubi Deus voluerit, quod longitudini vitæ tuæ implendæ deest, brevitate annorum meorum supplere: immo mori tecum malo, quam sine te vivere. Gratias interea tibi, Vir summe, ago, habeoque pro tam egregio amoris erga me indicio, quem ut perpetuum mihi servare velis, enixe contendo. DIETERICI nostri libris invigilabo draconis instar, eosque, ubi carceribus liberati erunt, ad te, tanquam spolia diu exoptata, deferam, aut, si mavis, triumphi particeps erit uterque nostrum. Ad responsum Altdorffiensium quod attinet, non habeo, quid dicam. Si unus Jurisconsultus dicitur civitatis oraculum, quid non sentiendum de toto corpore? Nam de Theologis nihil nunc addam. Mea quidem sententia, judicium satis tulit benignum Ordo & Jurisconsultorum & The-

Theologorum, ea inprimis de caufa, quod Cabbalæ practicæ doctrina, conjuncta cum convitiis in Salvatorem noftrum, fidemque Chriftianam, & magicis fuperftitionibus, inter ipfos Judæos non omnes admiffis, mitiorem vix fuftinere potuerit pœnam. At de his tu rectius judicare poteris; mihi femper horrenda vifa funt, quæ contra Jefum Chriftum impuro ore effutiunt Judæi, & fevera pœna coercenda, fi non refecanda prorfus. De BURCKLINIO vix eft, ut operam tibi in perluftrandis Codicibus manufcriptis fpondeas. Eo enim vir bonus & diligens natus eft ingenio fingulari, & fere dixiffem mirabili, ut religioni fibi ducat, alios evolvere libros, quam facros, aut facra exponentes. Accedit, quod tanta ejus non fit peritia, ut omnes cujuscunque generis manu exaratos libros intelligere valeat, qui in levioribus & facilioribus hæret unice. Non hæc fcribo vituperandi caufa, quod iniquum effet & non tolerandum, maxime quum Præceptorem habuerim illum, fed monendi gratia. Grammaticus eft, præterea que nihil. Quicquid igitur Ebraicorum habes librorum, mihi vindicabo, five ambitione quadam inductus, five voracitate Rabbinica. Qua etiam de caufa aliquot indies femper horas tuis libris manufcriptis impendam, ut multos brevi tempore abfolvere poffim, quibus continuo fuccedant,

dant, si ita jusseris, alii. Facturus sum initium sequenti mense, finitis collegiis meis. De Mechanici Noribergensis schedula non est, cur tam multis agas gratias: solum æstimabis tibi tuisque inserviendi alacritatem, quam quum magni momenti rebus testatam facere nequeam, nugas aliquas offerre cogor. Nos enim vappæ sumus, & pusilla inculti ruris numina. Quanta vero liberalitas est tua, Generosissime Domine, quæ ultro mihi magnum classicorum auctorum & elegantem offert numerum! Hic tacendum mihi, & sacro silentio tua exosculanda benignitas, quam, quia privatim non sufficit laudare sæpius, publice propediem, tua cum venia, celebrabo. Munificus es, Vir optume, at me vis esse impudentem. Esto, &, ut scias, me gnaviter esse inverecundum, nomino heic, quos in familiam librorum meorum recipere gestio; Statium, Ausonium, Mythographos Latinos MUNCKERI, Ammianum VALESII, Florum FREINSHEMII, Ptolemæi denique Geographiam, sed hanc ea conditione, si Græcus fuerit adjunctus textus; nam Latinam versionem possedi dudum. Pudet me tam enormis impudentiæ, quam commisissem nunquam, nisi mandatum tuum in oculis esset. Quin & volo, bile libereris omni, quod ut ordine fiat, scrinia primum tua, ut bonum decet Medicum, expilo. Hanc itaque præstiti au-

auxilii mercedem si mihi donare volueris, ut fratri meo, Raumburgero, tradas, majorem in modum contendo. Est & mihi librorum quorundam duplex copia, quos hic adpositos leges, unde sumes aut omnes, aut quos nondum possides; sed vix unus erit alterque, quem non ostendat instructissima illa bibliotheca tua. Venio ad schedas Judæi. Catalogus ille librorum Ebraicorum שפתי ישנים hoc est (eleganti nomine) *Labia dormientium*, intus mihi notus est, & in cute, quem non modo, ut optimæ notæ librum judico, sed & ante me & mecum viri harum litterarum periti omnes. Auctor ejus est Rabbi SABBATHAI STRIEMER; typis editus est Amstel. 1680. 4. Ejus versionem Latinam promisit Gustavus PERINGER, atque imprimi jam cœpit, mox, nescio qua de causa, impedita. Pollicitus pariter est translationemRomanamChristianus WORMIUS, atque nunc exspectamus, quid J. F. CLANNERUS, Gymnasii Briegensis in Silesia Collega, moliatur. Liber est rarissimus, utilissimusque, etsi auctor aliquando descripsit BUXTORFIUM, servatis etiam ejus erroribus; qua de re videbis SAINJORI Bibliothecam Criticam Tom. I. pag. 362. Prostant & supplementa hujus catalogi, quæ dedit OPPENHEIMERUS Pragensis, de quibus vide Aulam librariam (*Bücher-Saal*) Tom. II. pag. 855. De ceteris quid

quid ſit judicii mei, proximis exponam litteris: nunc enim feſtinandum, ne ſpatio excludar. Sunt mihi *Secreta Secretorum Societatis Jeſû*, nondum, arbitror, excuſa: deſcribi in tuam, Amice mellitiſſime, gratiam curabo, ubi imperaveris. Parens meus de recuperata valetudine mecum gratulatur tibi, gratoque animo agnoſcit curam, quam ejus cauſa in conquirendo Kranichfeldiano ſcripto ſuſcepiſti, & quam memori ſemper ſervabit mente. Uterque noſtrum vitam longævam, felicitatem conſtantem, fauſta & fortunata omnia, certos inprimis theſauri librarii heredes ex te genitos adprecatur. Vale, & nos amare perge. Raptim XI. ante Calendas Martii CIↃ IↃ CCXIIII.

XLVII.

P. BERNARDUS PEZIUS

Benedictinus & Bibliothecarius Mellicenſis.

Dum omnium, quidquid in Europa eſt, eruditorum hominum ſermonibus celebraris, tantumque ſplendoris in litteraria Republica conſecutus jam es, ut vix ullus in hac beatus eſſe poſſit, quem in benevolentiæ Tuæ communionem non ad-

mi-

miseris : crimini nulli mihi vertes, Illustrissime Domine, si Te, licet cætera obscurus homo, sacrosanctorum tamen Antiquitatis monumentorum pertinax consectator, his litteris compellavero. Animum sæpius hæsitanti addit inclyta fama, quæ ex omnibus usque angulis politioris Orbis tot & talia, quibus omnium generum disciplinæ & studia exornentur, illustrenturque, litteraria cimelia Te congregasse nuntiat, nec congregasse tantum, sed, quæ singularis nobilissimi animi Tui humanitas est, etiam studiosorum hominum usibus destinasse. Quocirca nemo non Germaniæ nostræ redivivum in Te Mæcenatem, novumque optimarum litterarum Statorem gratulatur. Porro ad me quod attinet, id jam nunc enuntio, nihil me ardentius cupere, quam locum quempiam & occasionem, sapientissima consilia, & luculentissima de egregiis studiis, merita Tua dignis laudibus efferendi. Enimvero ejusmodi occasionem nemo largiorem, certioremque mihi præbere poterit, quam Tu is ipse, utpote qui, benevolente Numine, ea possides, quæ mecum communicata non solum amplam facultatem dabunt, sed etiam necessitatem imponent de Tuo Nomine bene recteque merendi. Atque ut tandem noscas, quorsum ista spectent, ea benignitate, qua cuncta soles, & hæc accipe sis. Occepi prelo subjicere duos Thesauri Anec-

Anecdotorum Noviſſimi tomos, quos hoc eodem anno tres alii pluresve conſequentur. Ipſa Operis mei inſcriptio Tibi omnia mea conſilia recludit, oſtenditque, idem meum inſtitutum eſſe, quod fuit P. Edmundi MARTENE, amici mei, cujus Theſaurus Anecdotorum Novus tantum apud omnes eruditos plauſum excitavit. Nempe vaſtiſſimam veterum monumentorum Collectionem, ex Patribus, Scripturarum interpretibus, Theologis, Hiſtoricis &c. adorno, quæ omnium temporum rebus & diſciplinis lucem allatura ſit. Ergo cum dubitare nequeam, plurima in illa tua MSS. Codd. vi eſſe hactenus inedita, ipſe vides, quantum me tuis honoribus obſtricturus ſis, ſi quid horum Operis mei locupletandi cauſa mihi transmiſeris. Neque ego tuæ benevolentiæ modum & legem ſtatuam. Accipiam omnia gratiſſimo, Tibique devinctiſſimo animo, quæcunque in hanc rem decreveris, modo inedita, & tuo judicio luce publica digna fuerint, cujusmodi ſunt veterum Theologorum, qui ſyllogiſmorum coquos anteceſſerunt, opuſcula, Monaſteriorum Chronica, Virorum illuſtrium Epiſtolæ, Chartæ, Diplomata &c. Præfigam ſingulis monumentis Vffenbachianæ Bibliothecæ nomen, ut omnibus palam conſtet, quantum Tibi univerſa res litteraria debeat. Hæ preces, hæc vota mea, Eruditiſſime Heros! Nunc Tuum erit, aut

aut illa benigne admittere cum immortali laude tua, quam nec sera posteritas denegabit, aut respuere : id quod posterius etsi inurbanitate mea me meritum fuisse lubens fatear ; a vulgatissima tamen tua clementia nunquam exspectabo. Vale, unicum Germaniæ Decus, ac fave.

Dabam Mellicii, vulgo Mölk in Austria ad Danubium. 10. Sept. 1719.

XLVIII.

P. BERNARDO PEZIO.

Tam illustre tuum in orbe literario nomen est, ut oppido fallaris, quod obscurum pro singulari modestia tua adpellaris, ac velut ignotus me compellare dubitaveris. Adeo magnifice de te doctisque conatibus tuis sentio, ut literæ tuæ non modo acceptissimæ ac jucundissimæ fuerint, sed hos etiam adjuvare maximæ futurum sit voluptati. Nunquam enim invidorum illorum probavi sententiam, qui, quos collegerunt, thesauros litterarios defodiunt, vel ob diversas in religione sententias Musarum januas, quæ, ex veteri sententia, apertæ esse debent, occludunt. Illud certe stultum est, ac eos, qui studiis humanioribus nomen dederunt, minime decet. Hoc vero, partium scili-

cet ſtudia ab omnibus, qui artes liberales tractant, abeſſe omnino debent, quibus commune ac publicum reipublicæ litterariæ bonum omnibus ſane viribus nullove diſcrimine promovendum eſt. Mirari igitur ſatis nequeo, Cl. GENTILOTTIUM, virum alias humaniſſimum, ac bibliothecarium Cæſ. digniſſimum, Dominum PFAFFIUM, Profeſſorem Tubingenſem, virum optimum, auxilia ejus implorantem, tam frigide, ut ille apud me graviter conqueſtus eſt, repuliſſe, ut de ea, quam ipſemet ab eodem tuli, repulſa urbana nil dicam. Fateor equidem, multos eſſe, qui aliorum facilitate, conceſſisque benivole litterariis cimeliis abutantur, ad quod præcavendum cautelas nonnullas æquiſſimas prolegomenis, catalogo meo præfigendis, inſeram. Aſt talia ab ingenuis ac honeſtis bonarum litterarum cultoribus non facile metuenda, nec erunt ex his, qui monita, de quibus jam dixi, reſpuent. Quum igitur nullus dubitem, quin tu, admodum Venerande Pater, eadem probaturus, ac bona utique fide acturus ſis, tantum abeſt, ut tibi quidquam denegare poſſim, ut potius facultatem, quæcunque in uſus tuos ex qualicunque ſupellectili mea libraria eligendi, conceſſurus ſim, quam primum CatalogusMStorum meorum prelum, ſub quo ſudat, evaſerit. Primus illius tomus futuris, Deo volente, nundi-

nis

nis paſchalibus abſolvetur, inque lucem publicam exibit, in quo non pauca, ut confido, quæ tibi arriſura ſunt, offendes. Sciagraphiam totius operis in Ephemeridibus eruditis, quæ Halæ Sax. ſub titulo: *Bibliotheca miſcella, vermiſchte Bibliothec*, prodeunt, legere poteris. Interim non ægre feres moram, & benevolum, de quo certiſſimus eſſe potes, animum boni conſules. d. 28. Oct. MDCCXIX.

XLIX.

P. BERNARDUS PEZ.

Memor ſingularis Tuæ erga me meaque ſtudia benevolentiæ, Perilluſtris Domine, qua proximo anno prolixam mihi ſpem, præclara quædam vetera monumenta ex tua opulentiſſima MSS. Bibliotheca obtinendi, feciſti, a me, nunc edito etiam hujus Catalogo, laborioſe ſane ac erudite confecto, impetrare non potui, quin te obnixe rogarem, *ut ALGERI ſeu ADELGERI Monachi Tractatum de Libero Arbitrio* mecum communicare ne dedigneris. Cæterum conditionibus & legibus, quas Codicibus tuis uſuris docte pariter ac prudenter præſcripſiſti, me lubens volens ſubdo, ac ſpondeo, me omnes ſumptus, qui in opuſculi exſcriptionem facti fuerint,

gratiſſimo animo reſarturum. De GENTILLOTO vera prædicaſti. Homo ille moroſus, & ad Germanorum genium minime factus eſt. Et nobis, dum utendos ex Cæſ. Bibliotheca Codices offert, eas conditiones addit, quas accipere non poſſumus. Expectandum itaque, dum alius Heſperidum pomis præſideat. Interim ad te mitto Conſpectum operis mei, quod tibi haud diſplicebit, ſi quidem tua ſtudia recte aſſequar. In præfationibus meis te tuumque nomen non uno loco celebravi, quod æque feras, precor. Plura de te dicere, in mox ſecuturis voluminibus, quæ ALGERO tuo ornabuntur, non prætermittam. Jam Vale, illuſtre GermaniæOrnamentum, & parta gloria longiſſime fruere. d. 29. Jan. 1721.

L.

P. BERNARDO PEZIO.

Quod ſerius ad tuas, in tempore mihi redditas, reſpondeam, faciunt plurima, quæ a Cæſareis, ut vocant, Commiſſariis mihi demandata fuerunt negotia. Haud ægre igitur meum, quod etiam rogo, feres ſilentium. Ne vero promiſſi immemorem exiſtimes, ſcias velim, me non modo ALGERI, quem e Catalogo primum tibi ſe-

le-

legisti librum, sed alios etiam, quos postea expeciturus es, concessurum quam lubentissime, si modo quenquam indicaris, qui ab Amanuensi descripta recipiat, atque ad te curet. Pro transmissi Thesauri Conspectu non modo gratias ago, sed ex animo tibi, Vir maxime venerande, gratulor. Recte sane facis, quod aliorum e familia vestra Eruditissimorum vestigia legas, tuoque exemplo egregio commonstres, neque in Germania nostra deesse viros ex ordine vestro, ob singularia in Ecclesiam & orbem litterarium merita præ aliis omnibus conspicuo, qui rem litterariam ornare & velint & possint. Superbit Gallia Fratrum tuorum virtute atque studiis, existimavitque hactenus, cæteras regiones atque ipsamGermaniam nostram non nisi otiosos alere Monachos, qui de litteris parum solliciti codices optimos, in monasteriis latentes, muribus, blattis, tineisve relinquant. Macte itaque virtute tua, ac in eruendis conquirendisque litterariis, qui in Germania nostra æque ac in Gallia habentur, thesauris strenue perge. Quod ut possis, vitam viresque Numen tibi largiatur benignissimum. Ne vero te deterreant, de quibus in epistola ad BUCHELSIUM conquestus es, obstacula; eximia enim, quæ nunc in lucem edidisti, specimina cessare illa facient, multisque salivam non modo movebunt, sed faciliores etiam in te ju-

vando reddent. De mea certe & benevolentia & industria certissimus esse potes. Tu modo indica, quibus egregia studia tua promovere queam. Exigunt hoc publice a me facta promissa, jubent ipsæ, quas colimus, litteræ humaniores, quæ humanæ esse desinunt, nisi earum studiosi omnibus adjuvare sese invicem modis velint. Qua in re cum plane consentientem te mecum existimem, tuum quoque auxilium implorare nullus dubito. Diu est, quod PLATINÆ Historiam Mantuanam, a LAMBECIO in Austria vestra editam (t), ejusdem-

(t) Baptistæ SACCHI, Cremonensis, ex vico Platina, vulgo appellati PLATINÆ, Historia inclytæ Vrbis Mantuæ, & Sereniss. Familiæ Gonzagæ, in Libros VI. divisa, & nunc primum ex Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi a Petro LAMBECIO in lucem edita, atque necessariis annotationibus illustrata, Vindobonæ A. 1675. in 4. typis excusa, est longe rarissima, suppressa quippe Eleonoræ Gonzagæ, Augustæ viduæ, nutu. Plura de ipsa nosse cupidus conferat *Giornale de Letterati d' Italia*, Tom. XIII. p. 422. sqq. SERPILII rariorum librorum Notitiam Germanice scriptam, Part. I. p. 24. sqq. Ven. VOGTII Catalogum historico-criticum Librorum rariorum

demque LAMBECII Iter Cellense desiderem. Facies igitur rem mihi gratissimam, si æquo illa pretio comparare velis. Quod certe officium pro singulari humanitate tua lubens, ut spero, præstabis. d. 15. Mart. MDCCXXI.

LI.

P. BERNARDVS PEZ.

Benignissime, ut quidem nunquam non soles, Perillustris Domine, mecum agis, dum amplam tui ALGERI seu Adelgeri de Libero Arbitrio consequendi spem facis. Itaque pro adeo effusa erga me benevolentia, quas possum, maximas gratias ago, meque totum vicissim in tuos usus offero. Algeri Opusculum mox quartum Anecdotorum tomum, qui sub finem hujus anni forte jam in luce versabitur, exornabit. Nam is tomus vastissimos VII. Libros de Laude Li-

riorum, p. 535. Clar. FREYTAGII Analecta de libris rarioribus p. 692. &c. Recusa vero deinde est illa Historia in GRÆVII & BURMANNI Thesauro Antiquitatum & Histor. Italiæ, Tom. IV. ac in MURATORII Scriptor. rerum Italic. Tom. XX. fol. 609. sqq.

beri Arbitrii, a B. FROVVINO Abbate Angelomontano seu Engelbergensi in Helvetia circa annum MCII. scriptos, uti & ENGELBERTI, doctissimi Abbatis Admontensis, Tractatum de Libero Arbitrio complectetur. Igitur Algerus triadem claudet. Cæterum cum Martinus Veithius in his nundinis Opus meum Franckofurti divendat, eum, ut meo nomine Opusculum a te recipiat, factasque in exscriptionem impensas in loco persolvat, rogavi. Huic itaque, ut tuto omnia concredas, opto. Pro PLATINÆ Historia Mantuana, ut eam quamprimum haberes, nullam non operam dedi, sed nondum studiis erga te nostris fructus respondit, ut ex adjecta amici epistola cognosces. Sed perquirere non desinemus, dum tibi quibuscunque sumptibus satisfacere possimus. In Cæsarea Vindob. bibliotheca scio aliquod exemplum vacans, quod cum alio ejusdem pretii commutare fas est bibliothecæ illius Præfecto, extare: verum quia nosti, cum illo homine mihi non optime convenire, alias artes & vias, quibus cupitum opus accipiamus, tentare pergemus. Ad Pentecosten publice comparebit Tomus I. Scriptorum Rerum Austriacarum, a germano fratre ac contubernali meo adornatus. Nunc in conscribendis præfationibus toti sumus, cum corpus operis Lipsiæ apud Gleditschii filium excusum jam sit.

Eidem

Eidem extrudendum etiam dedi P. HUEBERI noſtri Auſtriam ex Archivis Mellicenſibus illuſtratam, quod opus elegans meris veteribus Diplomatibus & chartis conſtat, præcipueque nobiles Auſtriæ familias illuſtrat. De Theſauro meo, cum eum nunc ad manum habere te non dubitem, vellem ſane noſſe, quid ſentias. Neque enim dicere valeo, quantum tuo judicio deferam. Forte nonnulla in eo tibi jure diſplicebunt. Sed memineris, a me omnia hic primum ac ſine duce idoneo fieri. Ea tamen pro more tuo candide mihi, ſi amas me, indica. Proficio enim plurimum, ſicubi me erraſſe cognoſco. Poſt Paſcha Vindobonam abibo, ſurfures meos Auguſtiſſimo Cæſari, cui inſcripti ſunt, oblaturus. Itaque ſi quid a me in eo loco fieri volueris, quod tibi gratum ſit, tempeſtive ſcribe, ac noſtros conatus juvare ac fovere perge.

Mellicii, vulgo Mölck in Auſtria, 10. April. 1721.

LII.

P. BERNARDO PEZIO.

Creber magnusque peregrinorum in nundinis ad Bibliothecam perlustrandam confluxus, inopinataque status rerum mearum, de qua Veithus, ut puto, te certiorem reddidit, mutatio obstiterunt, quo minus ad tuas hactenus respondere, vel etiam ALGERI libellum eidem tradere potuerim. Quam cunctationem ne ægre feras, vel mihi vitio vertas, etiam atque etiam rogo, etsi a singulari humanitate tua veniam mihi pollicear facillimam. Ne vero diutius in mora hæream, en ALGERI libellum, quem, cum perbrevis sit, nec magnos sumtus facere possit, jam per cursorem ordinarium mitto. Alter, qui eum in codice præcedit, ADELGERI de corpore & sanguine Domini liber multo est prolixior, justumque volumen efficeret. Si vel hunc, vel alia e Bibliotheca desideras, lubentissime concedam. Nil plane erit, quod tibi, Vir celeberrime, si ad eximium Thesaurum tuum augendum facere posse existimas, denegabo. Ita enim priores illius, quos nuper publicæ luci donasti, Tomi probantur, ut piaculum crederem, si egregia studia tua promovere, ac quovis modo adjuvare nolim. Nil sane est, quod in præclaro opere

re tuo desiderem, nisi quod cum multis aliis maluissem, ut historica nobis seorsim dedisses, ut, qui illis potissimum delectantur, minoribus iisdem sumtibus frui potuissent. Ast secutus videris DACHERII, MONTFAUCONII, DURANDI, aliorumque exemplum, qui Bibliopolarum commodis hac ratione consulere voluerunt. Cum vero omnia non modo Theologis accepta atque proficua sint, sed suo pretio atque utilitate minime careant, ac merito ab interitu liberanda videantur, eo, quo cœpisti, modo strenue perge, ac reliqua, quæ studio nunquam satis laudando a situ & squalore vindicasti, promere satage. Quod ut præstare possis, vitam viresque ex animo apprecor. Salvum atque incolumem non modo, sed re quoque feliciter gesta te Vindobona rediisse, spero. Quod si Mantuanam quoque Historiam, quam aveo, ex eo itinere retulisses, res sane foret mihi gratissima. Interim & tibi & P. HUEBERO tuo gratias ago, quod tanto in eam studio inquirere voluistis. Austriam hujus ac Scriptores etiam, a Germano tuo conlectos, summo cum desiderio omnes mecum boni exspectant. Singularis plane nostri seculi est felicitas, quod vetera Germaniæ nostræ monumenta, quæ hactenus situ ac squalore obruta atque neglecta jacuerunt, vel etiam blattis, tineis ac muribus in escam

con-

conceſſa fuerunt, tanto nunc ardore conquirantur. Laudari igitur ſatis nequit doctorum virorum ſtudium, qui iſtis curam atque diligentiam ſuam impendunt. Quod cum præ aliis ſtrenue agas, Numen benigniſſimum egregiis conatibus tuis porro benedicat, teque ſervet quam diutiſſime ſuperſtitem! die 26. Maji. MDCCXXI.

LIII.

P. BERNARDUS PEZ.

Cumulatiſſimas tibi, Perilluſtris Domine, gratias ago pro Schediaſmate ALGERI de Libero Arbitrio, quod in IV. Theſauri mei Tomo, in autumnalibus nundinis Francofordienſibus, ni Veithius ſpem fefellerit, publicando, non ſine multa inclyti Tui Nominis ac Bibliothecæ concelebratione typis excuſum videbis. Ejusdem Liber de Corpore Domini maximi momenti quidem eſt, ſed is prelum dudum expertus jam fuit. Meam autem infelicitatem ſatis nequeo deplorare, ut qui tum per me ipſum, tum per amicos in comparanda Hiſtoria Mantuana omni poſſibili opera hactenus collocata, fruſtra fuerim. Quare te, Vir ſumme, obſecro ac obte-

ſtor,

ſtor, ut votorum tuorum fruſtrationem meæ inhumanitati ne attribuas, aliudque in mandatis mihi des, quod felicius effectum tibi voluptati ac uſui eſſe poſſit. Luculentum enim apud me nomen tuis beneficiis habes, cui expungendo ex omnibus uſque opibus ſtudebo. Quod de Theſauro meo benigne ſentias, gratias habeo. Ipſe autem vides, quo conſilio Hiſtorica Theologicis monumentis copulata ſint. Noſtri hic homines hæc præ illis mallent, alii aliud. Omnibus itaque in hujusmodi opere ſatisfieri non poteſt ex aſſe. Multa etiam mihi tribuenda ſunt amicis, quorum opuſcula ne videar ſpernere, præſtantioribus interſerenda ſunt. Id ni faciam, homines bonos a me averto, efficioque, ut nihil agant. Sed de his plura in inſulſis meis præfationibus leges. Hodie frater, qui Te impenſe colit, Epiſtolam, qua Cæſari Scriptores ſuos Auſtriacos nuncupat, Gleditſchii filio miſit: ut adeo opus intra XIV. dies prodire in lucem poſſit. Non diſplicebit id tibi, cui patria hiſtoria adeo cordi eſt. GENTILLOTUS tres Catalogi ſui tomos jam dudum nobis minatur, tametſi rerum ejus gnarus non credat, quidquam homine vivente proditurum. Quid agit nunc doctiſſimus PFAFFIUS noſter? Utinam is recte utatur Codicibus Hirſaugienſibus, quos in Principum Wirtenbergenſium poteſtatem veniſſe non dubito.

bito. Moguntinarum rerum Scriptores ecquando tandem e prelo eluctabuntur? Ast percunctationibus fatigandus non es. Hic Monachi antiquitatum studiis vacare occipiunt, ac de publico bene mereri. Confirmo singulos in recte cœptis: sed apparatus necessarius plerisque aut otium deest. Chronicon Generale Andreæ Presb. Ratisbon. tibi olim publice laudatum, in meo iv. Tomo comparebit ex optimæ notæ Codice Monseensi. Ut Veithius tuo scribæ pro Algero satisfaciat, dudum jussi. Id ni factum sit, me mone, ne in optimas leges tuas ingratus peccasse videar. d. 22. Jun. 1721.

LIV.

P. BERNARDO PEZIO.

Opus haud erat, ut tantas pro transmissis foliis paucissimis gratias ageres, vel etiam elogia illis inscribenda promitteres. Lubens sane Schediasma illud Algerianum concessi, nullumque aliud præmium est, quod deposcam, nisi ut, quod non tam ex lege ultro facies, tribus saltim verbis moneas, ex Codice meæ Bibliothecæ desumtum illud esse. Nec est, quod scribæ quidquam offeratur, lex enim inurbanis solummodo illis præscripta fuit, qui majora opera deposcunt, nec, receptis illis, de sumtibus ipsorum causa factis restituendis cogitant, sed mihi, qui impensas in comparandis Codicibus sat graves habui, illas, quod non raro accidit,

Ama-

Amanuensibus erogandas relinquant. Studium tuum, Vir humanissime, in comparanda historia Mantuana frustratum hactenus fuisse, quidem doleo. Gratias vero tibi nihilominus habeo. Si benignior fortuna exemplum forsan offerat, arripies, mihique concedes. Casu enim nonnunquam in manus nostras incidunt, quæ studiose quærentes fugiunt. Ideo sollicitum de ea amplius te esse nolim. Quæ de opere tuo, tum in præfationibus, tum in epistola mones, justa utique sunt, nec ea unquam felicitas cuidam mortalium data est, ut omnibus per omnia satisfacere potuerit. Recte igitur tu ages, si in eo, quo cœpisti, tramite strenue pergas. Fratris, quem salvere jubeo, Scriptores Austriacos maximo cum desiderio exspecto. Bibliopolæ enim nostri illos nondum attulerunt. GENTILOTTII cunctationem ac tergiversationem miror; ex iis forte est, de quibus Seneca dicere solitus, quod operose nihil agant. Indulgere videtur genio suo Italico. Dolendum autem, tantum thesaurum quasi absconditum latere, qui maximum rei litterariæ augmentum atque ornamentum afferre & posset & deberet. Ejusmodi Bibliothecarii cani Aesopico, focum custodienti, simillimi. Cel. PFAFFIUS in conlegendis actis, ad constitutionem *Unigenitus* spectantibus, nunc occupatur, quorum Tomum primum procul dubio vidisti. Mallem, ut promissa Acta Ecclesiæ Germanicæ potius daret; ast, ut me nuper certiorem reddidit, non tam

vo-

voluntas, quam Bibliopola, qui ſumtus ferat, ipſi deeſt. Monui eum, rem melius ſucceſſuram, ſi in capita illa diſpeſceret. Nimia enim operis, ut meditatus eſt, moles & Bibliopolas & emtores deterret. Quando Scriptores Moguntinenſes prelum ſint evaſuri, definire nequeo. Etſi enim collector JOANNIS ſedulus ſit, & Bibliotheca mea bene utatur, tarde tamen procedit opus, quod non parum etiam Sandii Bibliopolæ cunctatione ac tergiverſatione ſufflaminatur. Tarditatem vero operis gravitas atque præſtantia, quod ſpondere poſſum, compenſabit. Andreæ Ratisbonenſis Chronicon Tomo tuo IV. inſerendum, & gaudeo, & doleo. Lætor equidem, quod publico illud donetur; male tamen me habet, quod tantos in iſtud deſcribendum ſumtus aliquot abhinc annis fecerim. Hoc tamen non ita accipies, ac ſi tibi editionis gloriam, Orbi litterario vero utilitatem invideam. Optarem vero, ut cum meo exemplo tuum apographum conferre licuiſſet. Non latet te, me verſionem quoque ejusdem Germanicam, eamque auctiorem, poſſidere. d. 19. Jul. MDCCXXI.